IOANNIS LVDOVICI CHARTARII BONONIEN.

Medici, ac Philoſophi Clariſs.

Olim in celeberrimo Patrio Gymnaſio Philoſophiam ordinariam veſpertinam profitentis

CONCILIATIONES DILVCIDAE

omnium Controuerſiarum in I I. Ariſt. lib. De Generatione, & Corruptione.

AD ILLVSTRISS.M ET REVER.M D. D. MARCELLVM AQVAMVIVVM Archiepiſcopum Hydruntinum, Bonon. Proleg.



BONONIAE, apud Ioannem Roſsium. MDXCV.
Superiorum permiſſu.
Ad inſtantiam Thomæ Paſini.

ILLVSTRISSIMO,
AC REVERENDISSIMO DOMINO,
D. MARCELLO AQVAVIVIO HYDRVNTINO ARCHIEP. ac Bononiae Prolegato.

C*VM non ſolùm vniuerſam Italiam, verum & exteras prouincias eximiæ virtutis tuæ fama peruagetur, Illuſtriſsime, ac Reuerendiſsime Antiſtes, recensq; nobiliſsima animi tui magnitudinis, ac ſapientiæ in ea, quam Pedemontanã vocant, regione veſtigia impreſſeris, dum apud Sereniſs. Sabaudiæ Ducem Oratorem ageres Pontificium, ita vt Pedemontanorũ tui memoriam nulla vnquam deletura videatur obliuio, optimo omnes, ac ſapientiſsimo conſilio factum prædicant à Summo Pont. Clemente Octauo cum de præficiendo huic vrbi ſecundum Romam Pontificiarũ omnium facilè Principi deliberares, te vt vnum*

deligeret, cui ſalutem eius, dignitatemq́; creditam vellet, nempè vt ipſi poſt tot, ac tantas ſuperiorum temporum procellas, tanquàm dioſcurorum ſidus illuceſceres: vtq́; abs te illa, tanquam à perēni Aquæ viuæ fonte quicquid optare in vita, & conſequi liceat, abundè hauriret. Ac ſanè proprium eſt familiæ tuæ inter Neapolitanas clariſſimæ, vt ex ipſa tanquam ex equo Troiano prodeant quotidie viri & foris, & domi ornatiſſimi, quodq́; in nobiliſsimis familijs perquam rarum, doctrinæ ſtudijs ad miraculum exculti, quo quidem nomine ipſi non parum vniuerſa debet Italia. Quam tu familiam, ſi non auito ſplendore tantopere eſſet cōſpicua, poſſes vnus virtute tua illuſtriſsimā reddere. Quis ergo, modo non auerſus à muſis, te non ſuſpiciat, non de te maxima quæque præſagiat, ac ſperet? Mihi verò quid antiquius eſſe potuit, quam tuum mihi, & huic libello nunc primùm in lucem prodeunti patrocinium optare? Me quidem, ſi me ſpectem, tanto indignum Patrono non poſsim non fateri, ſed ſi in humanitatē tuam conuertam oculos, id ipſum quod affirmaui, audacter negem: quādo ne ſim indignus, tu facis, qui mei ſimiles clientes non dedignaris. Opuſculum certè hoc, meo excuſum

are,

are, quod in tuo celeberrimo nomine apparere voluî, ab eo proficiſcitur auctore (fatis iam ille conceſsit) qui ob ſummam eruditionem apud ſummos, id eſt tui ſimiles, gratia ſemper floruit, vt eius alia, dum ipſe viueret, monumenta doctiſsimis dicata Cardinalibus egregiè teſtatur. Quæ cum teri videam ſtudioſorum manibus non mediocri cum eius laude, eſt cur putẽ hunc poſtremum partum minimè eſſe contemnendũ, immò verò quo ſerius natum, eò exactius elaboratum. Ego verò cum animi mei ſtudium in te maximum proprio non poſſem haud alienum duxi, alieno munere declarare, & (quod facio) abs te iterum petere, atq; iterum vt me in tuis numerare clientibus, à ſumma humanitate tua minimè abhorrens existimes. Vale. Bononiæ Kal. Iun. M D X C V.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. T.

Addictiſsimus

Thomas Paſinus.

AD MARCELLVM AQVAVIVIVM HYDRVNTI ARCHIEP.
ac Bononiae Prolegatum
IVLIVS SIGNIVS.

QVOD gratum eſt animis Heroum, nobilis Heros,
Egregiè praeſtas, quod Populosq; iuuat.
Doctrina, eloquium, Virtus generoſa perenni
Fonte, AQVAVIVA, velut, manat ab ore tuo.
Qui tua facta, decus, titulos perpendit auitos,
Principis exemplar te putat eſſe boni.
Parthenope tanto ſe ciue, Bononia iactet
Praeſide, Roma ornet murice teq; ſacro.
Sic tu orbē ornares, & honeſtas Palladis artes;
Auſpice teq; foret maior honoris honos.

INDEX

INDEX RERVM, ET VERBORVM,

Quæ in his duobus Libris de Generatione, & Corruptione continetur, ordine Alphabetico accommodatus.

A

ACCIDENTIA, *quæ principaliter gene antur.* *fol.18.b.*
Accidentia, quæ conſequutiuè generantur. 18 a.
Actio, & paßio dupliciter conſiderátur. 38.b.
Actio, & paßio adhuc dupliciter accipiuntur 49.b.
Actio, & paßio an ſint cum contactu. 35.b.
Agens eſt duplex. 36.a.
Agenti, an oppoſitum ſit patiens. 38.a.
Agens omne, an ſit per contactum. 39.a.
Agens, & patiens; an poßint eſſe idem. 40.b.
An tractandum ſit in hoc Libro de Generatione, & Corruptione. 4.b.
An ſimpliciter aliquid generatur, & corrumpatur. 11.a.
An ſit tantum vna prima contrarietas, & quomodo. 60.b.

Aqua inter humida, an ſit ſola benè terminabilis. fol. 79.*b.*
Ariſt. an ſit diminutus in proponendo ſuam intentionem in 1. *tex.* 1. *libri.* 5.*b.*
Ariſt. non poteſt probare ſcire dari 1. *Poſt. poteſt benè deſtruere, et ſoluere rationes oppoſitas.* 12.*a.*
Ariſt. an exequatur ea, quæ proponit in tex. 25. 1. *libri de Generatione.* 28.*b.*
Ariſt. an ſit ſuperfluus agendo in hoc libro de actione, & paßione. 35.*b.*
Ariſt. an in tex. 51. *huius* 1. *vtatur demonſtratione circulari.* 41.*b.*
Ariſt. an in tex. 63. *huius primi rectè ponat differentias inter Plat. & Democritum.* 45.*b.*
Ariſt. an rectè in cap. de miſtione ponat ſuam intentionem. 47.*a.*
*Ariſt. an in tex.*69. *huius primi, ponat rectè ſecundam miſcibilium conditionem.* 48.*b.*
Aridum, an reducatur ad ſiccum. 57.*a.*
Auctionem tractari in his libris, an ſit conueniens. fol. 27.*a.*
Auctio poteſt dupliciter conſiderari. 28.*a.*
Aucti partes bifariam conſiderantur. 29.*b.*
Actus operationis primo ſingularibus, aptitudo verò vniuerſalibus conuenit. 15.*b.*

C

CAliditati, an ſequatur durities, & grauitas. fol. 46.*b.*

Calidum, an ſit illud, quod congregat homogenea: frigidú verò homogenea, & etherogenea. 52. a.
Cælum dicitur æquiuocè durum, aut ſiccum. 59. a.
Cælum non eſt calidum formaliter, ſed virtualiter. fol. 66. b.
Contraria omnia, an ſint ſub eodem genere. 41. a.
Contraria, quæ agunt, & patiuntur inuicem, an ſint eiuſdem materiæ. 44. a.
Contraria, an poſſint fieri ab eodem. 83. b.
Contrarietas, an ſit cauſa actionis; ſimilitudo verò paſſionis. 42. b.
Corpus, an conſtituatur ex duabus ſuperficiebus. fol. 8. b.
Corpus ſenſibile, an ſit diuiſibile, ſecundum quodlibet ſui ſignum. 10. a.
Corpus aliquod, vt dicatur elementum, ſex requiruntur conditiones. 59. a.
Corruptio, an, & quomodo ſit naturalis. 1. a.
Corruptio eſt naturalis ratione cauſæ efficientis, materialis, formalis, & finalis. 3. a.
Corruptio vnius, eſt generatio alterius: quomodo hæc propoſitio intelligitur. 16. b.
Corruptio, an ſit æqualis generationi. 85. a.

D

DEVS poteſt ſubire vicem omnium cauſarum, præterquam cauſæ formalis. 30. b.
Deum ſeruare materiá ſine formam, ſecundú D. Tho. eſt impoſſibile, oppoſitú tuetur Scotus. 31. b.

Demōſtratio circularis, an, et quomodo ſit danda. 42. a.
Durities, & grauitas, an ſequantur ad caliditatem. fol. 46. b.
Durum, an reducatur ad ſiccum. 58. b.

E

Elementa, an ſint tantum quattuor. 62. a.
Elementi diffinitio. 63. a.
Elementa alia diffinitur. 63. b.
Elementa, quæ ſimbolum habent, facilius inuicem tranſmutantur. 68. a.
Elementa contraria, an poſſint inuicem immediatè tranſmutari. 74. b.
Elementa duobus modis poſſunt conſiderari. 76. b.
Ens per accidens poſſe non eſſe, quomodo intelligitur. fol. 12. b.
Eſſentia, & quidditas non diſtinguitur ſecundum Græcos. 26. a.
Eſſentia, & exiſtentia actualis differunt in ſubſtantijs caducis. 32. b.

F

Formæ ſubſtantiales, aliæ ſunt eiuſdem, aliæ diuerſi generis. 20. a.
Forma, an ſit tota quidditas rei. 26. a.
Frigidum, an congreget homogenea, & etherogenea. fol. 52. a.

G

Generationem eſſe, an ſit probandum in hoc libro fol. 8. a.

Gene-

Generatio, & corruptio quibus primò conueniunt, vniuerſalibus, an ſingularibus. 13.a.
Generatio vnius, eſt corruptio alterius, & è contra. fol. 16.b.
Generatio vnius, eſt corruptio alterius: in quibus tranſmutationibus valet, & in quibus non. 19.a.
Generatio an rectè ab Ariſt. diffiniatur in tex. 23. huius 1. libri. 22.b.
Generatio variè definitur ab Ariſt. 22.b.
Generatio variè conſideratur ab Ariſt. 23.a.
Generationis diffinitio examinatur. 24.a.
Generatio, an ſit æqualis corruptioni, & è contra. fol. 85.a.
Generatio, an ſit ſimpliciter neceſſaria, vel ſit contingens in rebus. 86.b.
Grauitas, & durities, an ſequantur ad caliditatem. fol. 46.b.
Graue, & leue, an ſint principia actionis, & paſſionis. 49.b.

H

HAbens poſitionem, an ſit in loco. 36.b.
Homo non eſt quin præfuerit animal. 20.b.
Homine non præexiſtente Socrates, & hic homo non erunt. 20.b.

I

ID, quod alteratur, & generatur, an mutetur localiter. 29.a.
Id, quod augetur, mutat locum, ſecundum partes tantum.

tantùm. 29.b.
Id, quòd mouetur localiter, mutat locum, ſecundùm totum. 29.b.
Id, quòd humido caret, an poßit coagulari. 58.a.
Idem an ſit agens, & patiens. 40.b.
Ignem dari eſt neceſſarium. 65.a.
Ignis, an ſit ſub orbe Lunæ. 65.b.
Ignis ſi eſſet ſub orbe Lunæ ſi luceret, non eſſet elementum. 66.a.
Ignis ſub orbe Lunæ, cur non extinguitur, cum nutrimento careat. 66.a.
Ignis ſolus inter corpora ſimplicia nutritur. 80.a.
In quibus entibus verificetur hæc propoſitio: generatio vnius eſt corruptio alterius. 17.a.
Impotentia in animalibus, quomodo ſit præter naturam. 4.a.

L

LAtini non benè reſpondent ad quæſtionem: cur ignis in orbe Lunæ non lucet. 65.b.
Lux, an ſit qualitas prima. 59.b.

M

MAgnitudo, an poßit fieri ex non magnitudine. 9.b.
Malum, an, & quomodo intenditur à natura. 4.b.
Materia, an ſit æqualiter apta recipere oppoſitas formas. 19.a.
Materia, an ſit vna omnium generabilium, & corruptibilium. 21.a.

Mate-

Materia tribus modis poteſt contemplari. 22. a.
Materia, an poßit dari ſine omni forma. 29. b.
Materia dupliciter poteſt à nobis conſiderari. 32. b.
Materia prima æquè primò reſpicit quattuor primas qualitates elementorum. 76. b.
Medium eſt duplex. 77. a.
Miſtio, an ſit. 47. b.
Miſtio tribus modis poteſt accipi. 47. b.
Miſcibilia, an potentijs æquentur. 48. a.
Miſta, an conſtent ex omnibus elementis. 78. a.
Motus localis, quomodo ſit prior alijs motibus. 29. a.
Mouens omne, an tangat ipſum mobile. 39. a.
Motus, an ſit continuus ratione mobilis, an motoris. 86. b.

N

NAtura, an intendat malum. 4. b.
Natura, quomodo intendat corruptionē. 4. b.
Nomen multiplex, an omne ſit æquiuocum, vel analogum. 36. b.
Nutritio eſt duplex. 35. b.

O

OMnium habentium adinuicem tranſmutationem, an ſit vna materia. 7. b.
Oppoſitorum ſi vnum eſt naturale, an, & quomodo aliud ſit præter naturam. 3. b.
Oppoſiti effectus, ſecundum naturam, an poßint emanare ab vno, & eodem agente. 4. b.
Operationes ſunt ſingularium. 14. a.

Operationis actus primò conuenit ſingularibus. 15.*b.*

P

PAtienti omni, an agens ſit oppoſitum. 38.*a.*

Ponentes tantum vnum principium, an poßint diſtinguere inter generationem, & alterationem. fol. 6.*a.*

Ponentes plura principia, an poßint diſtinguere inter generationem, & alterationem. 66.*b.*

Poſitio dupliciter accipitur. 37.*a.*

Poſitiones ſurſum, & deorſum, an ſint primæ differentiæ loci. 37.*a.*

Plato laudatur ab Ariſt. 9.*a.*

Prius, quomodo ſeparatur à poſteriori. 32.*b.*

Principium actionis, & paßionis poſitum à Democrito, & Leucippo, an ſit naturale. 45.*a.*

Principia æternorum, & corruptibilium, an ſint numero æqualia, & eodem genere. 81.*a.*

Primarum qualitatum, an duæ ſint actiuæ, & duæ paſſiuæ. 50.*a.*

Primarum qualitatum, an duæ ſtent loco materiæ, & duæ aliæ loco formæ. 56.*a.*

Q

QVis poteſt ſoluere rationes contrarias ſuo ſubiecto, & ipſum deſtruentes; non tamen poteſt probare ipſum. 12.*a.*

Quomodo hæc propoſitio, generatio vnius, & corruptio alterius veritatem habeat in accidentibus. fol. 18.*a.*

Quid-

Quidditas, & eſſentia, ſecundum Græcos, non diſtinguuntur, licèt ſecundum Latinos. 26. a.

Quantitas vna, an agat in aliam, & patiatur ab alia. 41. a.

Qualitatum primarum, an duæ ſint actiuæ, & duæ aliæ paſſiuæ. 50. a.

Qualitates primæ poſſunt dupliciter cõſiderari. 51. a.

Qualitatum primarum, an duæ ſtent loco materiæ, & duæ loco formæ. 56. a.

Qualitates primæ, an ſint tantum quattuor. 59. a.

Quattuor qualitates tangibiles, an ſint primæ, & quomodo. 60. a.

Qualitates primæ, an poſſint dici elementa, & quare ſic vocantur ab Ariſt. 61. a.

Qualitates primæ, quomodo ab Ariſt. dicantur paſſiones elementorum, materia miſtorum, & principia elementorum. 61. b.

Qualitates elementorum, quæ ſimbolizant, an ſint einſdem ſpeciei. 69. b.

R

Rationes deſtruẽtes ſubiectum alicuius ſcientiæ, poſſunt ſolui ab exercitato in illa ſcientia; non tamen poteſt probare ſubiectum ipſum. 12. a.

S

Sex conditiones requiruntur, vt aliquod corpus dicatur elementum. 63. b.

Similitudo, an ſit cauſa paſſionis, contrarietas verò actionis. 42. b.

Sol ſuo acceſſu eſt cauſa generationis; receſſu verò corruptionis. 84.a.
Subiectum ſcientiæ eſſe, non poteſt directè probari, ſed benè indirectè. 12.a.
Subiectum generationis per ſe, eſt ens in potentia. fol. 12.a.
Subſtantiæ, vt ſubſtantia, an repugnet poſſe ſeparari ab accidentibus. 32.b.

T

TAngentia adinuicem, an habeant vltima ſimul, & ſint adinuicem actiua, & paſſiua. 39.b.
Tenuè, an reducatur ad humidum. 56.b.
Theologus poteſt ſoluere rationes deſtruentes articulos fidei, non tamen poteſt probare ipſos articulos. fol. 12.a.
Totum, & totalitas non ſunt idem. 25.b.

V

VIrtus alteratiua, an ſit in eo, quod alteratur ſimpliciter, & auctiua in aucto. 33.a.
Virtus alteratiua eſt duplex. 33.b.
Virtus generatiua, quomodo non ſit in eo, quod generatur. 34.a.
Viuens, an nutriatur quouſq; ſaluatur. 35.a.
Vniuerſalia nec generantur, nec corrumpuntur. 14.a.
Vnius rei vnicam eſſe diffinitionem, quomodo intelligitur. 23.a.
Vnum contrariorum, an ſi eſt in rerum natura ſit, & alterum. 46.a.

OI-

CONCILIATIONES
CONTROVERSIARVM
SVPER PRIM. LIB. DE GENER. ET CORRVP. ARIST.
Io: Lvdovici Chartarii.

Controuer. j. Super Tex. j.

IESVS *illuminatio mea ſit.* Proponendo ſuã intentionem principalem dicit Ariſt. (De generatione autem, & corruptione eorũ quæ natura generantur, & corrumpũtur &c.) Ex quibus colligitur corruptionem eſſe naturalem; Oppoſitum habetur ab ipſo Ariſtot. I. de Cœlo, & Mun. tex. 18. vbi ponit hanc regulam, ꝙ ſi vnum oppoſitorum eſt ſecundum naturam, alterum eſt præter naturam, at generatio eſt ſecundum naturam, ergo corruptio erit præter naturam; Augetur difficultas ex dicto Ariſt. 2. Cœli tex. 37. dicentis, quòd omnes in potentiæ in animalibus ſunt præter naturam, vt ſenectus, & decrementum, tunc ſic arguo, Corruptio eſt quædam impotentia, ergo corruptio eſt præter naturam; Quod etiã ratione confirmatur, illud quod naturæ repugnat, nõ eſt naturale, corruptio naturæ repugnat

An corruptio ſit nãlis.

gnat, deſtruit enim ipſam formam, quæ principaliter eſt natura teſte Ariſt. in principio 2. Phy. ergò corruptio non erit naturalis; Inſuper, omne agens naturale ſecundum naturam vnum tantum agit, ſi ſic, generationem igitur & corruptionem inſimul non aget naturaliter; Vltimo, Malum non intenditur à natura, cum natura agat propter finem ex Ariſtot. 2. Phy. & de ratione finis eſt quòd ſit bonum, vt ibidem habetur, corruptio autem eſt mala, ergo corruptio non erit intenta à natura, & per conſequens non erit ſecundum naturam; Ex altera parte eſt Ariſt. hic, & in in 5. Phyſ. tex. 56. ac in 4. Methe. in quibus locis vocat corruptionem eſſe ſecūdum naturam, In Lib. etiam de Morte, & vita, diuidit mortem in naturalem, & violentam; In iſta difficultate diuerſi ſunt inter ſe expoſitores; Ægidius dicit corruptionem eſſe naturalem, & præter naturam, naturalem dicit eſſe, quatenus à naturali Philoſopho conſideratur; Inſuper eam vocat naturalem meritò materiæ, quæ appetit varias formas, quas appetere nō poteſt abſq; corruptione; Vocat etiam eam naturalē, meritò formæ generandæ, quæ in materia nō poteſt introduci, niſi forma prior corrumpatur; Eam verò non eſſe naturalem dicit ratione efficientis, cum nullum efficiens eam intendat;

Reſponſ. Aegidij.

Quæ

Quæ Ægidij determinatio tuta non eſt, primum enim eius dictum non valet, quia non omne quod à naturali Philoſopho conſideratur eſt naturale; Nec ſecundum eius dictũ valet, cum de ratione materiæ ſit informari à forma, & eam recipere, non autem eam amittere, quod eſſe verum patet ex Ariſt. in principio 2. Phy. ac 5. Met. Cap. de Materia dicente, materiam eſſe naturam, quia naturã recipit, nempe ipſam formam, ergo amitere formam non erit ſecundum naturam materiæ; Dicebat tertio Ægidius corruptionum eſſe naturalem meritò formæ introducendæ, non autem ratione formæ exiſtentis in materia, cuius totum oppoſitum eſt aſſerendum, & ratio eſt, quia quælibet forma habet ſuum determinatum ſuum, ſeu determinatũ tempus ſuæ durationis, ad quod ſi perueniat, in eoq; deſinat, tunc deſinit naturaliter; Quartum etiã eius dictum non videtur approbandum, cum corruptio ipſa ſit naturalis meritò efficientis, quod eſſe verum patet, cum ipſa fiat à cauſis naturaliter operantibus; Cum etiam omne agens naturale appetens finem, appetat etiam media ordinata ad finem, corruptio aũt ordinatur in generationem, igitur agens naturale intendens generationem, etiam intendet corruptionem; Quidam alij dixere corruptio- Cõfutat.

nem eſſe à natura, minimè ſecundum naturã, quæ ſolutio videtur eſſe Simplicij, & Ioannis Gram. in princio 2. Phy. dum diſtinguũt inter fieri à natura, & fieri ſecundum naturã, monſtra enim dicunt eſſe à natura, ſed non ſecundum naturam. pariter decrementum, & corruptionem dicunt eſſe à natura, minimè ſecundum naturam; Quæ reſponſio non ſatisfacit, cum abſolutè loquendo fieri à natura, & ſecundum naturam non diſtinguantur, ſed prò eodem accipiantur; Amplius, quòd ſit falſum dicere aliquid eſſe à natura, ſed nõ ſecundum naturam, ſic declaro, accipio illud quod eſt à natura, & quæro an illud tale ſit intentum à natura, vel non; ſi eſt intentum, ergó & illud tale eſt ſecundum naturam, ſi non eſt intentum, ergo nec illud abſolutè eſt à natura, ſed per accidens, ſicq; corruptio pſe & abſolutè loquendo non erit à natura, cum ab ea non intendatur; Quare dicendum erit, corruptionem eſſe à natura, & ſecundum naturam; & cum dico corruptionem eſſe ſecũdum naturam, intelligo eam eſſe ſecundũ naturam tùm materiæ, tùm formæ, tùm finis, tùm efficientis; & cum dico quòd ſit à natura, non intelligo principaliter, ſed ſecundariò, eo quia natura principaliter intendit ipſam formam, quam aſſequi nõ poteſt abſq;

Reſponſ. Simpl. & Io. Gram.

Confut.

Vera ſolutio.

cor-

corruptione alterius formæ, ſicq; corruptio ſecundario eſt à natura; Quòd corruptio ſit ſecundum naturam cuiuslibet cauſæ, declaro, diſcurrendo per ſingula genera cauſarũ, primò eſt ſecundum naturam efficientis, quia corruptio fit à cauſis efficientibus ſecundũ naturam operantibus, & hoc intelligatur de corruptione naturali, ſicut eſt illa, quæ fit in ſenio, minimè de corruptione violenta, vt eſt illa, quæ fit à gladio, à laqueo, & ab huiuſcemodi alijs; Eſt etiam ſecundum naturam materiæ non principaliter, ſed ſecundariò, materia enim principaliter appetit recipere formam, at eam recipere nõ poteſt, abſq; amiſſione formæ habitæ, ob hanc cauſam dico corruptionem ſecundariò eſſe ſecundum naturam materiæ; Eſt quoq; ſecundum naturã formę quę corrumpitur, eo quia ſecundum Ariſt. 2. Cœli tex. 100. vnumquodq; habet ęuum proprium, ſeu proprium, & determinatum tempus ſuę durationis, & in quo ſeruari poteſt, in quo ſi deſinat illa forma, tunc ſecũdum naturam deſinit, peruenit enim ad finẽ ſui ęui; at ſi non perueniat ad ſuum ęuum, tũc illa corruptio non eſt ſecundum naturam, cũ non obtinuerit tempus determinatum, ac finem ſuę durationis; Pariter eſt dicendum corruptionem eſſe ſecundum naturam finis,

Quò corruptio ſit nãlis, meritò cauſæ efficialis.

Quò corrupt. ſit nãlis, rõe materiæ.

Quò corrupt. ſit nãlis, rõe formæ.

Quo corrupt. ſit naturalis; rõe ... nis. eo quia corruptio ordinatur ad ipſam generationem; Quę corruptio etiam naturalis ab Ariſt. vocatur ad differentiam corruptionis violentę, & quę non eſt facta à cauſis effectiuis naturaliter operantibus; Addo etiã quòd corruptio eſt naturalis, quia fit ſecũdum leges naturę, ſecundum quas, omne quod fit debet interire; Ex quibus ſoluuntur argumenta; Et primum quod innitebatur in illa regula, ſi vnum oppoſitorum cõuenit alicui ſecundum naturam, ſummo oppoſitum illi conueniet præter naturam; quę regula eſt intelligenda de illis oppoſitis, quę ita ſe habẽt quod vnum non ordinetur in aliud, at ſi è contra ſit, quòd vnum oppoſitorum ordinetur ad aliud, tunc ſtat quòd ambo illa oppoſita ſint ſecundum naturam, & ita eſt in pręſenti, generatio enim, & corruptio opponuntur, at corruptio ordinatur ad ipſam generationem, ideo ambo conueniunt corpori naturali ſecundum naturam, non tamen eodem modo, quia generatio conueniet corpori naturali principaliter, cum generatio principaliter ſit intenta ab agente naturali, corruptio eidem conueniet, ſed ſecundario, cum ordinetur ad ipſam generationem; Dixi regulam non habere veritatem in oppoſitis, quę ita ſe habẽt, quòd vnum non dirigatur ad aliud, ut patet

Oppoſita ... ſi v... natura ... quo verũ.

pater, nam moueri ſurſum conuenit igni ſecũdum naturam, nece ſſe eſt quòd moueri deorſum illi conueniat præter naturam, ratio eſt, quia motus deorſum non ordinatur ad motũ ſurſum; Erat alia Ariſt. authoritas, omnes impotentię in animalibus ſunt pręter naturam, corruptio eſt quędam impotentia, igitur erit præter naturam; Iam dictum eſt quòd corruptio eſt pręter naturam, quia eſt deſtructio formę; ſicq; omnes impotentię erunt præter naturam, quatenus ſunt deſtructiones formarum, quę eędem erunt ſecundũ naturam, quatenus ſunt factę à cauſis effectiuis naturaliter operantibus, quatenus etiam ſunt productæ ſecundum leges naturę, & ſic eſt de ipſa corruptione, ſicut fuit declaratum; Similiter reſpondetur & illi rationi, in qua dicebatur, quod naturę repugnat non eſt naturale; Iam .n. dictum eſt, corruptionem eſſe naturalem, quatenus eſt facta ſecũdum leges naturæ, & quatenus etiam eſt facta à cauſis naturaliter agẽtibus, licet autem naturę repugnet, cum deſtruat ipſam formam, hoc nihil eſt, quia etiam iam dictum eſt, quòd corruptio eſt ſecũdum naturã formę quam habet, cum vnumquodq; habeat determinatum ęuum ad quod ſi peruenerit, natura ſua expoſcit, vt illud pereat ac corrumpatur; Tollitur & illa ratio, in qua

dicebatur, ab vno, & eodem agente effectus oppoſiti ſecundum naturā non poſſunt emanare, verum eſt principaliter, ideò dictum ē, quòd corruptio eſt ſecundum naturam, ſed ſecundariò; Vel illa propoſitio intelligatur habere veritatem reſpectu eiuſdem ſubiecti, non autem reſpectu diuerſorum ſubiectorū, idem enim agens agit, & corrumpit, non idem ſed diuerſa, nam ignis generat ignem, corrūpit verò ligna; Ceſſat & vltima ratio; Malū non intenditur à natura, ſeù nullum agēs naturale intendit malum; Veriſsima eſt propoſitio principaliter loquendo, at ſecundariò non habet veritatem, quod declaro; Malum enim ſub rōnē qua malum à nullo agente naturali intenditur, & hoc eſt quòd dixi principaliter, malum tamen ſub ſpetie boni, ſtaṭ quòd intendatur ab agente naturali, & hoc eſt quod dixi ſecundariò, ſic in propoſito ḡ corruptio ſub ratione qua corruptio eſt, nō eſt intenta à natura principaliter, at corruptio vt ordinatur ad ipſam generationem, ſic eſt intenta à natura, ſed hoc eſt ſecundaria intētione.

An ſuperfluus ſit Ariſt. hic tractans de Gen. & Cor.

Controuer. 2. ſuper eod. tex. 1.

Iterum in eodem textu primo dum proponit eſſe agendum de generatione, & corruptione, eorum quę natura generantur, & cor-

& corrumpuntur, videtur quòd ſit ſibi repugnans, & ſuperfluus, cum de ijs pluribus in locis pertractauerit, vt in 3. ac 5. Phy. pariter ac in 3. Cœli, ac in 4. Meteo; de quibus et in 2. de Ani. ac in lib. de Gen. Animal. egit, quare ſuperfluus videtur, cum de ijs pponat iterum eſſe tractandum; Colligitur ſolutio ex verbis immediatè ſubſequētibus in textu, dum dixit, (vniuerſaliter de omnibus) ex quibus verbis patet ſe de illis proponere diſputaturum ſub ratione vniuerſali, quatenus nempè generatio, & corruptio cōpetunt ſimplicibus, & miſtis, ſubſtantijs, & accidentibus, & de ijs intendit docere quid vnumquodq; illorū ſit, eorumq; principia, ac proprietates, cum in ijs libris ſint ſubiectum, & conſiderentur ſub ratione vniuerſali, in alijs verò locis præcitatis, de illis pertractat, ſed contractè, & limitatè, In 3. enim lib. Phy. de illis agit, vt coincidunt cum motu; & ſicut motus eſt actus mobilis, vt mobile, ſic generatio, vt coincidit cū motu, eſt actus generabilis in quantum generabile; In 5. Phy. de ijſdem pertractat limitatè, quatenus nempè ſunt ſpecies diſtinctæ à motu; In 3. cœli de eiſdem cōſiderat limitatè, ſcilicet quo ad eorum eſſe; In præſenti lib. quo ad eorum quid eſt, quatenus quæ ſunt hic ſubiectum, quorū

ſunt

tiam inter generationem, & alterationem; ni-
hil verò de differentia generationis ab auctio-
ne; Primæ ſatisfacit Ioannes Gram. & rectè,
qui dicit nihil de actione, & paſsione Ariſt.
propoſuiſſe, ſtudens breuitati, cum hæc cõ-
prehendat ſub alteratione: de miſtione pa-
riter nihil proponit, cum hanc contineat ſub
generatione ipſorum miſcibilium, vt ſub alte-
ratione, cum ſine ea fieri minimè poſsit. Se-
cundæ ſatisfacit Sueſſanus dicens, Ariſt. non
propoſuiſſe docere differentiam inter gene-
rationem, & auctionem, quia auctio, & ge-
neratio in re identificantur. Quæ ſolutio nõ
placet, cum generatio ſubitò, in inſtanti fiat,
auctio ſucceſsiuè, & in tempore; inſuper, quia
generatio non eſt motus, auctio autẽ eſt mo-
tus; Cum etiam terminus auctionis ſit quan-
titas, generationis verò ſit ſubſtantia; quo-
modo igitur poſſunt eſſe idem in re? Quare
melius eſt dicere Ariſt. tacuiſſe differentiam
inter generationem, & auctionẽ, quia de hac
apud antiquos nulla fuit difficultas.

Controuer. 4. ſuper eodem textu.

An ponẽtes vnum mãle pn-cipiũ cum poſsint diſtinguere gñonem ab alteratione.

IN illa particula contextus primi, in qua
habetur (His igitur qui ex vno omnia con-
ſtituunt, neceſſe eſt dicere generationem eſſe
alterationem) vult Ariſtot. quòd illi qui
ponunt vnum materiale principium tantum

omnium

omnium, nō poſsint diſtinguere generationem ab alteratione; cujus erroris rationē hāc eſſe aſſerit, quia ſubiectum vnum, & idem manet ſub vtroq; termino; Obijcitur, quòd idem error accidit ipſi Ariſt; cùm & ipſe tātum vnum materiale principium, & immutabile ponat, quod eſt materia prima, ſi igitur antiquos in hoc rectè reprahendit, & ipſe Ariſt. pariter erit damnādus; Addit, quòd illi qui ponūt plura principia, poſſunt diſtinguere generationem ab alteratione. Obijcitur, quomodo hoc poſsit eſſe verum; cum ratio adducta contra ponentes vnum principium, ſimiliter etiam contra ponentes plura principia; ratio erat, quia ſubiectum manet vnum, & idem ſub vtroq; termino, omnis autem trāſmutatio in qua ſubiectū manet idem ſub vtroq; termino ſit alteratio; at ponentes plura principia, etiā dicunt illa remanere eadem ſub vtroq; termino, ergo talis tranſmutatio erit alteratio; Saluando Ariſt. dicendū eſt cum Ioanne Gram. qui benè ſoluit hanc difficultatē, cūq; nec aliter dici poſsit, quòd maxima eſt inter antiquos, & Ariſt. differentia, dum ponunt vnum omnium tantum principium materiale, quæ eſt, quòd illi ponūt illud principium vnum habere eſſe formale, & actu, quod principium ſecundum Ariſt. non

An qui ponūt plura pncipia, poſſint diſtinguere generationem ab alteratione.

habet

habet eſſe actu, ſed potentia tantum; Sed dices, quid reffert illud principium habere eſſe actu, vel potentia? Maxima eſt differentia nam ſi illud principium habet eſſe formale tunc facit alterationem, cum omnis forma adueniens enti in actu ſit accidens; Si verò habeat eſſe potentia, tunc fit generatio; Ex qua textus particula colligendum erit argumentum ſatis efficax contra ponentes plures formas in compoſito, quia ſi eorum opinio eſſet vera, tunc vltima forma adueniens enti, eſſet accidens, cum omnis forma adueniens enti in actu ſit accidens, ſi ergo plures ſint formæ in compoſito, tunc omnes aliæ à prima, quam habet cópoſitum illi aduenientes eſſent accidentales; Nec eorum ſolutio eſt alicuius roboris, dum dicunt argumentum hoc procedere, ſi aliæ formæ à prima aduenient enti in actu ſcilicet cópleto, & perfecto, quæ ſi aduenıát enti in actu incópleto, & imperfecto, nequaquàm erunt accidentales; Si hæc eorú reſponſio eſt vera, tunc Ariſt. hic contra antiquos nihil habebit, nam dicam quòd ſi ãtiqui ponunt vnum tantum omnium materiale principium, dicuntque illud in tranſmutatione vnum, & idé actu ſub vtroque termino remanere, dicam illud remanere actu ſub vtroque termino, ſed actu imperfecto, & incompleto, cum

An omnium habétium adinuicem tranſmutatione n ſit vna materia.

cum dicit Ariſt. ergo talis tranſmutatio erit alteratio, Negabo conſequentiam, quia dicam illud vnum principium non remanere idem in actu perfecto, ſicq; ſi illi euadunt argumentum prò ſe, & ego quoq; prò antiquis euadam argumentum ab Ariſt. adductū cōtra ipſos, ſicq; Ariſt. contra antiquos nihil habebit; Secundum argumentum concludit veritatem, ſed contra Ariſt. nihil habet, quia ſenſus verborum Ariſt. eſt, quòd illi qui ponunt vnum principium, non poſſunt diſtinguere generationē ab alteratione, nec verè, nec apparenter, quam ſententiam ſignificare volens, ita loquutus eſt; (Iis igitur qui ex vno omnia conſtituunt neceſſe eſt, &c.) quo verbo (neceſſe eſt.) non vtitur, dum adducit opinionem illorū, qui ponūt plura principia, qā dat intelligere quod tales licet nō diſtinguāt generationem ab alteratione verè, ſaltem tamen apparenter eam ſeparant ab alteratione.

Controuer. 5. ſuper eodem tex.

An omnium habentiū adinuicē tranſmutationem ſit vna materia.

In vltimis contextus primi verbis dicit Ariſt. (Omnium habentium inuicem tranſmutationem eſt vna materia.) Quæ ſententia ſi eſt vera ſequitur, quòd illa omnia erunt eadem ſpēs Ariſtotel. verba 15 Metaph. cap. de Eodem vbi ſcriptum eſt, re liquis

liquit, omnia habentia vnam, & eamdẽ materiam ſunt eadem; facilis eſt ſolutio ſi Ariſt. dictum Quinti Met. intelligatur de materia proxima, non autem de remota; de qua hic; Ex quo intellectu, tolitur etiã inſtantia alia, qua dicunt, Elementa inuicem tranſmutãtur, & tamen eorum non eſt vna materia, vt habetur ab Ariſt. 4. Cœli tex. 37. dicente, tot eſſe materias, quot elementa; Quæ Ariſt. verba ſunt pariter intelligenda de materia proxima, non autem de remota, de qua in præſenti; vel erit dicendum, Materiam dupliciter conſiderari, vno modo in ſe, & ſic eſt vna omnium, alio modo vt eſt cum diſpoſitionibus ad formam, & ſic eſt alia, & alia, prò vt illæ diſpoſitiones ſunt diuerſæ.

Controuer. ſuper contex. 4.

An in his lib. poſſit probari generatio, & corrupt. eſſe.

PRoponit Ariſt. in principio iſtius textus eſſe cõſiderandum, an genratio ſit; Oppoſitum colligitur ex ipſo Ariſt. 1. Poſt. vbique dicente, de ſubiecto ſupponi ſi eſt, & qd eſt, at generatio, & corruptio ſunt hic ſubiectũ, ergo ſupponuntur eſſe, ergo nõ erit inquirendum an ſint, Accedit, ꝙ generationem, & corruptionem eſſe docuit. 1. Phy. ac 3. Cœli, quare hic erit ſuperfluus; Addit Ariſt. eſſe dicendum de alijs ſimplicibus motibus, puta de augumentatione, & alteratione

tione.) Quæ verba repugnant ipſi .i. Cœli tex. 6. vbi docet, motus ſimplices in genere eſſe duos, rectum, & circularem, quorũ nullum eſt auctio, & alteratio; Ex verbis textus ceſſat prima inſtantia, in quibus habet, (vniuerſaliter igitur de generatione, & corruptione ſimplici dicendum eſt, verum eſt, an non,) ex quibus patet quód inquirere vult an generatio, & corruptio ſimplex ſit, at ſupponere generationem, & corruptionem eſſe, ſunt enim hic ſubiectum, ſicq; aliud eſt inquirere, an generatio, & corruptio ſimplex ſit, & aliud, an generatiõ ſit, & corruptio, primum inueſtigat, ſecundum ſupponit, ſi autem .i. Phy. ac 3. Cœli probauit generationem ſimplicem eſſe, hoc fuit per accidẽs, hic verò ex principali propoſito; Inſuper .i. Cœli dixit, duos tantum eſſe ſimplices motus, quatenus deſcribunt ſpatium ſimplex, hic veró illos vocat ſimplices motus, quatenus ſimpliciter, ac ſinè addito proferuntur.

Controuer. in tex. 7.

An ex ſuperficiebus corpus conſtituatur.

DIcit Ariſt. ex ſuperficiebus nil aliud reſultare quàm corpus; Obijcitur, ex non habente profunditatem nequaquàm poteſt cauſari id quod habet profunditatem, at ſuperficies profunditate caret, quę de neceſsitate ineſt corpori, ergo ex ſuperficiebus

ficiebus nequaquàm reſultabit corpus; Quod confirmatur, nam accipiantur duæ, vel plures ſuperficies inſimul, ex illis inſimul acceptis nunquàm reſultabit corpus; Niſi eſſet ꝙ Ariſtot. loquutus eſt ſecundum modum imaginandi mathematicorum, primum argumentum concluderet, ſecundum quam mathematicorum imaginationem punctum fluens cauſat lineam, ex fluxu lineæ cauſatur ſuperficies, pariter ex ſuperficiebus cauſatur corpus; Quæ duæ ſuperficies per iuxtà poſitionem earum adinuicem nullo modo cauſant corpus, at ſi ſupràponãtur, tunc videtur cauſari corpus, dico (videtur) quia hoc tantum eſt ſecundum apparentiam, non autem ſecundũ veritatem.

Controuer. 1. ſuper contex. 8.

Laudat Ariſtoteles Platonẽ in hoc præcipuè, quód ſit exercitatus in Mathematicis; Obijcit Ioan. Gram. quomodo has laudes illi tribuere poſsit, cũ ipſe Plato neget principia Mathematices notiſsima, dicit enim magnitudines indiuiſibiles eſſe, quia ſi eſſent diuiſibiles, cum triangulus ſit magnitudo, erit ergo diuiſibilis, ſicq; triangulus inter figuras non eſſet prima figura, dicebat Plato, cuius totum oppoſitum patet, cum triangulus ratione ſui ſit diuiſibilis, di-

An Ariſ. rectè laudet Platonẽ quòd fuerit in Mathematicis exercitatus.

 uiditur

uiditur enim in tres magnitudines, vt in tres lineas, quæ lineæ demum in puncta diuidũtur, quomodo igitur Plato potuit hoc dicere? Ioannes Gram. tres dat ſolutiones tuẽdo Platonem; Prima, quòd Plato hoc non dixit, niſi forſan in diſputationibus, quas vocat colloquia non ſcripta; Aut quód fuere quidam eius ſequaces, non benè dicta Platonis intelligentes; Secundo dicit Ioánes, quód ſi Plato hoc dixit, quòd tunc loquitur de tota figura trianguli, aliter non eſſet inter figuras rectilineas prima figura; Vel & eſt tertia ſolutio, quòd Plato loquebatur de ydea trianguli, non autem de triangulo reali.

Controuer. 2. ſuper contex. 8.

An ſit inconueniens magnitudinem fieri ex nõ magnitudine.

HAbet Ariſt. pró inconuenienti magnitudinem componi ex non magnitudinibus; Cuius totum oppoſitũ colligitur ex ipſomet Ariſt. I. Phy. docẽte compoſitum naturale quòd eſt corpus componi ex materia, & forma, quorum nullum eſt magnitudo; Ioan. Gram. dat duas ſolutiones, prima eſt compoſitum naturale non fieri ex materia, & forma per ſe ſubſiſtente, quia ſic ratio concluderet, ſed ex illis fit, quatenus ſubſternuntur generationi, qua ratione ſunt quanta; Dat ſecundam, quòd inconueniens eſt, magnitudinem fieri ex non magnitudine

actu,

actu & potentia, at magnitudinem fieri ex nõ magnitudine actu, quæ tamen eſt potẽtia magnitudo, non eſt inconueniens, ſicq; materia, & forma ex quibus fit compoſitum naturale non ſunt magnitudines actu, ſed potentia.

Controuer. ſuper contex. 9.

DIcit Ariſt. omne corpus ſenſibile eſſe diuiſibile ſecundum quodcumq; ſui ſignum potentia, non eſſe abſurdum; Dubitat Ioannes Gram. quare Ariſt. limitauerit ſuum ſermonem ad corpus ſenſibile, cum etiam hoc verũ ſit de corpore mathematico; Amplius, datur minimum naturale quod eſt pars corporis sẽſibilis, quod tamen non eſt diuiſibile ſecundum quancumq; ſui partem, malè igitur apponit particulam (ſenſibile.) Addit Ioãnes Gram. propoſitionem acceptam pendere ex illa, (omne continuum eſt diuiſibile in infinitum,) quæ propoſitio patitur multas inſtãtias, nam ſi corpus ſenſibile eſt diuiſibile ſecundum quodcumq; ſui ſeu in infinitum, põnatur ꝙ ſit diuiſum ſecundum quodcumq; ſui ſignum, ergo aliquando erit diuiſum, ex regula logicali, cuilibet ꝓpoſitioni de poſſibili correſpondet ſua de ineſſe, quo poſito tunc ſequitur ratio Democriti, quam adducit

An omne corpus sẽſibile ſit diuiſibile sm̃ quodlibet ſui ſignum.

cit Ariſt. in textu, quòd id quod remanebit poſt talem diuiſionem vel erit magnitudo, vel punctum, vel nihil, quorum nullum dici poteſt, vt probat Ariſt. in textu; Inſuper dicere omne corpus ſenſibile eſſe diuiſibile ſecundum quodcumq; ſui, eſt coniungere totũ ipſi infinito, quòd eſt impoſsibile, cum totũ dicat perfectionem, & nihil poſsit ei addi, è contrà eſt ipſum infinitum, poſſent afferi quá plures aliæ inſtantiæ, ſed hæ ſufficiant, cũ ex earum ſolutione, & aliæ tollantur; Notat Io: Gram. quód hæc ꝓpoſitio, omne corpus ſẽſibile eſt diuiſibile ſecũdum quodcumq; ſui ſignũ, ſeu in infinitum potentia, nil aliud ſignificat, quàm eſſe diuiſibile diuiſione inceſſabili, ita quód ſi diuidatur illud corpus, diuiſio numq̃ ceſſabit, ob hoc non eſt inferẽdum, quòd ſit diuiſum ſecundum quodcũq; ſui ſignum, ſed benè ſequitur quòd ſit diuiſibile diuiſione nunquàm ceſſante, ſicut etiá dicimus numerum augeri in infinitũ, ob hoc non licet infere quòd ſit auctus in infinitũ, ſed ſic dicimus quia augetur ex appoſitione nunquàm ceſſante, Et ſic ſatisfacit duobus vltimis argumentis, cum per infinitum nõ intelligat ipſum infinitũ, ſed inceſſabile; Addidit verò particulam illam (ſenſibile) non vt limitaret ſuam propoſitionẽ ad corpus na-

turale tantum, cum etiam de mathematico verificetur, ſed vt daret intelligere ſe loqui de corpore naturali illo, de quo loquebatur Democritus; Vel quòd per ſenſibile intelligit corpus in actu; ad differentiam corporis potentia, vt eſt materia prima, quæ nõ eſt diuiſibilis ſecundum quodcumq; ſui, cum ſit pura potentia.

Controuer. ſuper contex. 11.

IN iſto contextu proponit Ariſt. hanc difficultatem, Vtrum aliquid ſimpliciter generetur, & corrumpatur, an propriè quidem nihil; Eam ſoluendo, notat (per non ens ſimpliciter) duo poſſe intelligi, vel ipſum nihil, & ſic eſt impoſsibile, quòd ſi aliquid generatur ſimpliciter, generetur ex non ente ſimpliciter, ideſt ex nihilo; Secundo poteſt intelligi id quod non eſt actu, & ſic id quod generatur ſimpliciter, generatur ex non ente ſimpliciter, ideſt, ex non ente actu; Obijcitur ſic, Ariſt. proponit dubitationem ſuperfluã, & quòd peius eſt, eam malè ſoluit, ergò eſt repræhendendus; prima pars antecedentis probatur, nam inquirendo vtrũ aliquid ſimpliciter generetur, & corrumpatur, eſt idem ac ſi inquirat, an detur generatio, & corruptio, dubitatio tunc eſt ſuperflua, cum generatio, & corruptio hic ſubijciantur, ſubiectum

An aliquid ſimpliciter generet, ſit rectè ppoſitũ, & ſolutũ ab Ariſt.

autem ſemper ſupponitur eſſe, ex eius ſentē-
tia vbiq; in Primo Poſt. ſuperflua igitur eſt
dubitatio; Quòd malè ſit ſoluta, & eſt ſecū-
da pars antecedentis, probatur, nam vult q.
id quod generatur ſimpliciter, generetur ex
non ente ſimpliciter, id eſt, ex non ente actu,
ſed ex ente in potentia, cuius totum oppoſi-
tum eſt affirmandum, cum id quod generatur
prius debeat alterari, & alteratio eſt motus,
cuius ſubiectum eſt ens in actu, ſi ſic, id igi-
tur quod generatur, generabitur ex ente in
actu; Quod eſſe verum adhuc patet experi-
entia, nam generatio ignis eſt generatio ſim-
pliciter, quę fit ex ligno, vel ex alio aliquo
conſimili, quod eſt ens in actu; Quod etiam
confirmatur ex Ariſt. I. Phy. pluribus in lo-
cis dicente, omne quod fit fieri ex ſuo cōtra-
rio, vt album ex nigro, & canis ex ęquo; quæ
ſunt entia in actu; Augetur hæc contradictio,
cum id quod ſimpliciter generatur, genere-
tur ex nihilo, cū ens potentia ex quo fit ſim-
pliciter generatio, ſit idem quod nihil; Quod
etiam comprobatur ex Ariſt. I. Phy. dicente,
omne quod fit, fieri ex ſua priuatione, quæ
priuatio eſt nihil; Quod etiam confirmatur,
nam forma fit, quę tamē ex nihilo ſui fit præ-
exiſtente in materia; Omiſſa ſolutione ſupe-
rius adducta in tex. 4. Dico quòd non intē-

dit

dit probare generationem, & corruptionem eſſe, ſed benè intendit ſoluere rationes, quibus quis probare poſſet eas nō eſſe, ſicut maniſeſtè colligitur ex tex. pręſenti 11; Et ſi qs obijciat, ſi poteſt ſoluere tales rationes, ergò etiam probare poterit illas eſſe, quia cuius eſt munus ſoluere, eius etiam munus eſt ꝓbare; Hoc nequaquàm erit concedendum, nā Theologi ſoluūnt rationes deſtruentium articulos fidei, quos probare minimè poſſunt; Et ſi qs diceret, ſumus in phyloſophia peripathetica, ideó in ea affero exemplū, in Primo Poſt. Ariſtot. diſoluit rationes deſtruentes ſcire, minimè tamen probat, nec probare poteſt ipſum ſcire dari, & hoc iuxtà expoſitionē Lincon. Et ſi quis adhuc dicat, quæ eſt cauſa quod artifex poſsit reſpondere rationibus quæ deſtruunt ſuum ſubiectum, nō autem poteſt ipſum eſſe probare? Crediderim huius nullam aliam poſſe aſsignari cauſam, niſi hanc, quia eſt ſubiectum, quod ſubiectum ſemper debet ſupponi eſſe; Ex quibus ſequitur, quód ſubiectum eſſe directè non poteſt probari, ſed indirectè, nempè ſoluendo rationes ipſum deſtruentes; Quód malè ſit ſoluta, negatur; Probationi reſpondetur, quōd ſubiectū generationis per ſe ſemper eſt ens in potentia, ſi autem eueniat quód ſit in actu, hoc eſt per

accidens, quia ſi quid debet generari, neceſſe eſt quòd ſit in potentia, loquendo per ſe, qa ſi eſſet ens in actu, non generaretur, per accidens tamen eſt quòd ſit in actu, quia hoc eſt quatenus debet alterari, ex quo generatio ſemper præſupponit alterationem; Dicet ille, ſi per accidens eſt, quòd ſubiectum generationis ſit ens in actu, ergò poteſt non eſſe, ponatur quód non ſit, ergo non poterit generari; Dicẽdum erit cum Auerroe Primo Phy. id quod eſt per accidens, eſt dupliciter, vel per accidens contingens, & hoc poteſt nõ eſſe, vel eſt per accidens neceſſarium, & hoc nõ poteſt non eſſe, & ſic eſt in propoſito, dicebat enim Auerroes, priuationem eſſe principium generationis per accidens, ſed neceſſarium, quia ſi materia non eſſet priuata forma, quam de nouo debet recipere, nunquàm qdquàm poſſet generari, ſi igitur ignis ſit ex ligno, canis ex æquo quæ ſunt actu entia, hoc eſt per accidens, quatenus lignũ ex quo ignis eſt generãdus, debet primò alterari, at vt ſubijcitur generationi illius, ſic per ſe eſt in potentia; eſt enim priuatus forma ligni; Nec ob hoc ſequitur illud tale eſſe nihil, cum hoc és in potentia, quod generationi ſubijcitur, ſit etiam ens actu modo dicto, ſed dicitur eſſe in potentia reſpectu formæ de nouo generã-

dæ.

dæ,nam lignum ex quo generatur ignis eſt actu,ſed reſpectu formæ ignis recipiẽdæ eſt in potentia; Licet autem vnumquodq; fiat ex ſua priuatione,quæ priuatio eſt nihil,verum eſt formaliter loquẽdo, at priuatio ſumpta prò conotato eſt aliquid; connotat enim ipſum ſubiectum, cui ſubiecto neceſſaria eſt priuatio; Erat vltimum argumentum de forma,quæ eſt ſubſtantia,& tamen fit ex nihilo ſui pſuppoſito; Do duas ſolutiones, & primò nego formam generari,cum id quod propriè generatur ſit compoſitum; At quia dicet ille,forma tranſit de non eſſe ad eſſe, id autem quod tranſit de non eſſe ad eſſe, illud tale fit, ergo forma generabitur; ob hoc do ſecundam ſolutionem,in qua concedo formã generari,ſed nego illam ex nihilo fieri, quia illud dicitur fieri *ex* nihilo, quod fit nullo præſuppoſito,vt ſubiecto, licet autem forma fiat nullo ſui præexiſtente, non tamen fit *ex* nihilo,eo quia fit,& educitur *ex* potentia materiæ, tamquàm ex ſubiecto ſui præſuppoſito.

Controuer. ſuper contex. 14.

An generatio, & corruptio vniuerſalibus primo côueniât, vel ipſis ſingularib.

IN vltimis verbis illius contextus, dicit Ariſt. conſiderandam eſſe cauſam æternæ generationis, quæ circà ſingularia; Difficultas ſatis ardua eſt,cui primò conue-

niat

niat generatio, & corruptio, an vniuerſalibus an ipſis ſingularibus, ſunt enim paſsiones, & quælibet paſsio habet proprium ſubiectum, cui primò competit, iuxtà Ariſt. doctrinam Primo Poſt. vbiq; Si dixerimus generationem & corruptionem primò vniuerſalibus competere, verbis textus repugnare videbimur; Præterea ſequetur vniuerſalia primò eſſe generabilia, & corruptibilia, quòd ſi ſic erit, tunc ſequetur quód de illis non hebebitur ſcientia, cum generabilium, & corruptibilium non ſit ſcientia; Si veròècontra dixerimus, hæc primó ſingularibus conuenire quomodo igitur Ariſt. de his poterit traddere ſcientiam, cum de his quæ primò compeτunt ſingularibus non habeatur ſcientia, ſed de his quæ primò conueniũt vniuerſalibus;

Reſponſ. Io. Gád. Hic ſunt varij dicendi modi; Ioannes Gand. Primo Met. quæſt. 16. dixit generationem, & corruptionem conuenire principaliter vniuerſalibus, ita quòd vniuerſale eſt quod primò generatur, & corrumpitur, & prò hac opinione multas affert rationes, quarum præcipuè ſunt hæ, Proprietates primò conueniũt vniuerſali, generatio, & corruptio ſunt proprietates, igitur primó vniuerſali conueniẽt; Maiorem probat ex Porphyrio qui in Prædicab. Cap. de communitatibus ponens differentiam

ferentiam inter propria, & accidentia, ꝑpria vniuerſalibus primó competere aſſerit, dein dè inferioribus contentis ſub vniuerſalibus, èconträ ſe habent accidentia, quæ primò cóueniunt ſingularibus, demum ipſis vniuerſalibus; Amplius, id quod primó eſt compoſitum ex materia, & forma, id primò eſt generabile, & corruptibile, vniuerſale eſt huiuſmodi, igitur eſt primó generabile, & corruptibile; Amplius, ei primò competit paſsio, de quo primò demonſtratur, ſed generatio, & corruptio primò demonſtrantur de vniuerſali, vt de homine, de animali, quàm de Socrate, & de alijs ſingularibus, ergo primò vniuerſali conuenient; Quæ opinio ſatis dubia eſt, & modo loquendi Ariſt. & omnium expoſitorum repugnans, nam Ariſt. dum loquitur de vniuerſalibus, dicit vniuerſalia non generari, nec corrumpi, ideò Primo Poſt. ipſorũ eſſe ſcientiam, & demonſtrationem dicebat, q̃a ſunt ęterna, Inſuper, Primo Met. dicebat Ariſtot. operationes eſſe ſingularium, non autẽ vniuerſalium, non igitur erit dicendum, generare, & generari, corrumpere, & corrumpi primò competere vniuerſalibus, cum primò ſint ſingularium, ideo primò huius context. 40. dicet Ariſt. (quantum vniuerſale non generatur, quemadmodum nec animal;) Clarius Confuta.

dixit 4. de Gen. Animal. Cap. 3. quòd generant,& generantur vniuerſalia,& ſingularia, ſed magis ſingularia, ſi ſic, igitur opinio hęc

Reſponſ. Sueſſani. Ariſt. eſt repugnans, ac dubia; Sueſſanus hic dixit, aliud eſſe loqui de potentia, aliud de aptitudine, ſi ſermo ſit de potentia, hæc primò conuenit ſingularibus, [illegible] aptitudine, hæc primò eſt ipſorum vniuerſalium, aptitudo enim ad ridendum primò homini conuenit, at potentia ad ridendum ipſorum ſingularium eſt principalis; Qui dicendi modus

Confuta. licet ſit reducibilis ab bonum ſenſum, nõ eſt tamen admittendus, cum diſtinctio hæc de potentia,& aptitudine apud probatos authores non admittatur, ſed oppoſitum illius potius aprobetur, omnis enim aptitudo eſt potentia, vt patet ex Ariſt. in Prædic. Cap. de Qualitate, docens ſecundam ſpetiem qualitatis, potẽtias vocat aptitudines, ex quibus colligitur potentiam,& aptitudinem eſſe idem;

Alia Reſponſio Sueſſ. Ideò ipſe Sueſſanus Primo Met. Quæſt. 8. ſui Dillucidarij aliter dixit, & diſtinguit proprietates; quaſdam dicit ortum ducere à ſingularibus, quaſdam verò à principijs ſpeciei riſibilitas,& capacitas diſciplinarum sũt proprietates, quæ oriuntur à principijs vniuerſalibus, à principijs ipſius ſpeciei, at generatio; & corruptio ortum ducunt à principijs

indiui-

indiuiduorum,ſeū ab ipſis ſingularibus,qua præmiſſa diſtinctione, reſpondet, quòd generatio, & corruptio primò conueniunt ſingularibus,ſecundariò ipſis vniuerſalibus,& reſpondet fundamentis primæ opinionis adductæ nempè Ioannis Gand. dicitq; generationem,&corruptionem primò cōuenire ſingularibus,quia sūt proprietates, quæ ſui exordium ſumunt à principijs indiuiduorum, ob hoc primò illis,ſecundariò vniuerſalibus conuenient,quam opinionem ipſe Sueſſanus fortè accepit ab Antonio Andrea, qui idem ſentit; Quæ opinio adhuc eſt dubia,cum generatio, & corruptio non principaliter ortū ducant à principijs indiuiduorū, ſed à principijs vniuerſalibus,nam oriuntur à materia, & forma,cui formæ opponitur priuatio, quæ materia,forma, & priuatio ſunt principia ipſius vniuerſalis primò, ſunt enim principia hominis prima,nam ſunt principia prædicamenti ſubſtantiæ,cum igitur materia, forma, & priuatio ſint principia omnium generabilium,& corruptibilium,ab illiſq; fluant, generatio igitur, & corruptio ortum ducent à principijs vniuerſalibus, nempè ipſius ſpeciei,nequaquàm ergò erit dicendum hæc primò competere ſingularibus,ſecundario ipſis vniuerſalibus;Quare his dicēdi modis omiſ- Confuta.

Vera ſol. ſis hunc veriorem eſſe crediderim, quòd dũ loquimur de generatione, & corruptione, & quærimus cui primò conueniunt, tunc duo ſunt conſideranda, actus, vel aptitudo, exempli gratia, ſi loquamur de ipſa riſibilitate, vel conſideramus actum ridendi, vel aptitudinẽ, ſi igitur loquimur de generatione, & corruptione & conſideremus actum, dico tunc actum primò cõpetere ipſis ſingularibus, certum enim eſt, quòd ſingularia ſunt illa quæ generantur, & corrumpuntur, pariter & quæ generant, & corrumpunt; Si verò ſermo ſit de ipſa aptitudine, hæc erit ipſius vniuerſalis primò, nam aptitudo ad ridendum, homini primò conuenit, quare actus ſit primo ſingularium, aptitudo verò ipſis vniuerſalibus primò competat, cum aptitudo huiuſmodi fluat à principijs vniuerſalibus; Et iſte dicendi modus eſt Simplicij 3. Cœli com. 28. vbi dicit vniuerſalia eſſe generabilia, & corruptibilia, hocq; eſſe verum quo ad aptitudinem, cũ aptitudo à principijs ſpeciei oriatur; Sed huic determinationi quis obſtabit, Soluũtur inſtant. dicens illam repugnare Ariſtoteli in Libello de Somno, & Vigil. vbi ſcriptum reliquit, eiuſdem eſſe actum, cuius eſt potentia, ſi ſic, quomodo igitur eſt dictum, actum eſſe vnius, potentiam verò alterius. Dicendum eſt

Ariſtotelis ibi non facere comparationẽ inter vniuerſalia, & ſingularia, ſed inter principia quibus conuenit actus, vel aptitudo, ꝙ declaro, ibi quærit, cui primò conueniat ſomnus, & vigilia, an animæ, an corpori; Reſpõdet quòd animæ primò non conuenit, quia anima de ſe ſola non dormit, nec vigilat, nec corpori ſolo ob eandem cauſam, ſed talia cõuenire ipſi aggregato ex anima, & corpore dicit, ideo protulit tunc illã propoſitionem, actum, & potentiam eſſe eiuſdem, ſicq; facit comparationem inter principia quibus conuenit actus, & aptitudo, non autem inter vniuerſalia, & ſingularia; Sed vlterius inſtabit ille, & dicet, vniuerſalia æterna ſunt, quomodo ergo generabilia, & corruptibilia ſunt? Dico, vtrumq; eſſe verum, ſunt æterna nempè per ſucceſsionem indiuiduorum, ſunt verò generabilia, & corruptibilia ratione principiorum ex quibus conſtant, nam conſtant ex materia, & forma, quę ſunt prima contraria, & ſic vniuerſalia ſecundarió ſunt corruptibilia at primò ipſa ſingularia; Et hæc fuit Ariſtot. ſententia, qui in Lib. Prædic. Cap. de ſubſtãtia dixit, corruptis primis ſubſtantijs impoſſibile eſt aliquid aliorum remanere, at primæ ſubſtantiæ ſunt ſingulares, illis igitur corruptis, corrumpentur vniuerſales; Et in 2. de

Ani. tex. 35. dixit, cum natura non potuerit ſeruare animalia in numero, ea ſeruauit in ſpe tie, ideſt in ſucceſsione indiuiduorum.

Controuer. ſuper contex. 17.

An generatio vnius ſit alterius corruptio, & ècontra.

ASſignat cauſam æternæ generationis hanc, vnius corruptio, eſt alterius generatio, & èeontra, vnius generatio eſt alterius corruptio; Prò qua propoſitione verificanda, ſunt in primis hæc conſiderãda fundamenta, quorum primum eſt, quòd ſunt aliquæ propoſitiones quæ formaliter loquẽdo ſunt falſæ, at concomitanter, ſeù in prædicatione cauſali ſunt veræ, & huiuſmodi eſt præſens propoſitio, quæ in prędicatione formali, & identica non habet veritatem, falſum eſt enim dicere, quód generatio ſit corruptio eo quia ſunt mutationes oppoſitæ cõtrariè, vel contradictoriè, vt patet ex earum deſcriptionibus, ideo generatio vnius non poteſt eſſe alterius corruptio, nec èconträ, at cõcomitanter loquendo, ſeù in prędicatione cauſali propoſitio habet veritatem, & ſenſus illius eſt, vnius corruptio eſt alterius generatio, ideſt corruptioni vnius concomitatur generatio alterius, & ècõtrà; Cuius cauſa hæc vna eſt, quia materia formis nudata ſtare non poteſt, quare ſi vna priuatur forma, neceſſe eſt quód aliam recipiat; Eſt & ſecunda cauſa

hæc,

hæc; quód duæ formæ in eadē materia ſimúl ſtáre non poſſunt, cum quęlibet forma quādā habeat oppoſitionem, quòd intelligatur de omnibus formis, præterquàm de illis quæ sūt adinuicem ſubordinatæ, ſicuti ſunt formæ elementorum quę ſubordinantur formæ miſti, & ſimiliter forma miſti quæ coordinatur ad animam, hæc enim ſe in eadem compatiūtur materiā, aliæ nequaquàm, cū ſint aliqualiter oppoſitæ, ideo corruptioni vnius annexa erit generatio alterius, & ēcontrà; Eſt & tertia cauſā hæc, quód forma cuiuslibet rei generandę ſecum habet annexā alterius priuationem, vt formæ ignis annectitur priuatio formæ ligni, & ſic de alijs, ideó generationi vnius ſemper annectetur alterius corruptio; Habitis cauſis veritatis propoſitionis, præmitto fundamenta quibus tolluntur de facili argumēta, quibus propoſitionis veritas propoſita poſſet perturbari; Et primū ſit hoc, quod propoſitio hæc principaliter verificatur in ſubſtantijs, at ſecūdario in accidentibus, & ſi in ſubſtantijs principaliter habet veritatē, hoc intelligatur per ſe loquēdo, quia per accidens aliquando ſtat oppoſitū; Ex quó ceſſabit argumētū, quod ſolet aduci de minimo ignis, dicūt generetur minimus ignis q ſit exēpli gratia pedalis quantitatis, generabitur ex ligno ſibi pedali, ante-

In quibus entibus verificē prædicta propoſitio.

antequàm tale lignum ſit corruptum, prius corrumpetur vna pars, ad cuius partis corruptionem nullius formę generatio ſequitur, ergo propoſitio erit falſa; ceſſat hæc inſtantia, cum iam dictum ſit, propoſitionem principaliter in ſubſtantijs verificari, & per ſe, at per accidens contingere oppoſitum, ſicut eſt in argumento adducto, quia ſi ex corruptione alicuius particulę illius ligni nihil generatur, hoc eſt per accidens, quia ſi aliter eſſet tunc daretur minor ignis minimo dato, cum iam ſit ſuppoſitum quòd minimus ignis ſit ille qui eſt pedalis quantitatis; licet etiam tale argumentum ab aliquibus diluatur, negãdo argumentum, dicentes talem caſum eſſe impoſsibilem, & fortaſſe non malè dicunt; Sed quicquid ſit, propoſitio intelligatur sẽper vera principaliterq; in ſubſtantijs per ſe loquendo, ſecundariò in accidentibus verificetur; Et ſic ſaluatur, Ariſtotelem in pręſenti Lib. agere de generatione, & corruptione in communi, cuius totum oppoſitum ſequeretur, ſi propoſitio dicta veritatem non haberet in accidentibus; Cauſa autem quare principaliter verificetur in ſubſtantijs, hæc eſt, quód ſi debet ſaluari æternitas generationis; & corruptionis neceſſe eſt quòd materia habeat ęternam ſubſiſtentiam, quam de

ſe

ſe non habet, ſed à forma, non ab accidentali, ergò à forma ſubſtantiali, ſi ſic, igitur in ſubſtantijs principaliter verificabitur, per poſterius verò ; & ſecundariò in accidentibus ; Sed tunc erit notandum hoc ſecundū fundamentum, quòd ad hoc vt propoſitio prædicta veritatem habeat in accidentibus, neceſſe eſt quòd illa accidentia ſint materialia, & non ſpiritualia, quę accidentia materialia primò, & principaliter ſint generabilia, & corruptibilia, non autem conſequutiuè, & ſecūdario, accidentia quę principaliter generantur, & corrumpuntur, ſunt illa de quibus verum eſt dicere quód vnū fit ex alio, & quòd vnum in aliud corrumpitur, ſicut calidum fit ex frigido, ſanum ex ægro, albus ex nigro, & ſic de alijs, de quibus in primo Phy. ſimiliter & vnum in aliud corrumpitur, illa verò conſequutiuè dicuntur generari, & corrumpi, quę ſequuntur ad generationem, & corruptionem alterius, vt ſi miſtum generetur, vel corrumpatur, eſt manifeſtū quòd fit ex quatuor elementis, in illisq; pariter reſoluitur, id quod principaliter generatur, & corrumpitur eſt ipſum miſtum, qualitates verò ſecūdę, vt odor, color, ſapor, & aliæ conſimiles, quæ ipſi inſunt miſto generantur, & corrumpuntur conſequutiuè, vt patet ; Ex quo fundamē-

In quibus accidentibus habeat veritatem prædicta propoſitio.

Accidētia quæ principaliter generantur.

Accidētia quæ conſequutiuè generāt.

damento diluuntur duo argumenta, quę fuere Expoſitoribus difficilima, primū eſt de lumine, quod ſi corrumpatur, ad illius corruptionem nihil generatur, & licet generetur tenebra, tenebra tamen nihil eſt, cum ſit pura priuatio; ceſſat inquàm hæc difficultas de facili, cum lumen ſit accidens ſprituale; hoc tamen argumentum quàm pluribus fuit moleſtum, cuius cauſa fuere coacti dicere propoſitionem dictam in ſubſtantijs tantum habere veritatem; Tollitur & aliud argumentum quod ſolet adduci de qualitatibus ſecundis, quæ ſepius generantur, & nihil corrumpitur, quæ etiam ſepius corrumpuntur, & nihil generatur; nam elementa cum careant figura, odore, colore, ſapore, & ſint pura, tunc generatur miſtum ex elementis, quod miſtum habet figuram, colorem, ſaporem, odorem, nihil tamen corrumpitur in eo, nam miſtum eſt album, & generatur in eo albedo, nihil tamen in eo corrumpitur, non enim corrumpitur nigredo, cum in elementis non ſit, cum careant colore, & alijs qualitatibus ſecūdis, quid ſit dicendum, iam patet; Addendum erit & hoc tertium fundamentum, quod propoſitio dicta ſemper eſt intelligenda in tráſmutatione naturali, ad differentiam traſmutationis ſupernaturalis, de qua nō verificatur;

In quibus tráſmutationibus verificetur.

ex quo ſoluitur inſtantia ſumpta ab Auerroe in Primo Cap. de Subſtan. Orbis dicentis mundum eſſe à Deo factum,& tamen nullius præceſsit corruptio; Dico Auerroem voluiſſe mundum eſſe à Deo factum,ideſt creatum,non autem genitum, ſicq; propoſitio nõ habet veritatem in tranſmutatione ſupnāli, ſicuti eſt creatio,ſed tantum in tranſmutatione naturali,& per ſe loquendo, quia aliquãdo eueniet oppoſitum,ſed erit per accidens; Corruptioni itaq; vnius ſemper ãnexa ſit alterius generatio,& ecõtra, generationi vnius ſemper ãnectatur alterius corruptio in tranſmutatione naturali,& per ſe,verificetur q; in omnibus,tàm in ſubſtantijs,quàm in accidẽtibus,ſed in ſubſtantijs principaliter; in accidentibus ſecundario, quæ ſint materialia, & non ſpiritualia, quæ accidentia materialia primò, & principaliter ſint generabilia, & corruptibilia,non autem conſequtiuè,licet ẽt de illis aliquo modo poſsit verificari, cũ ſecundæ qualitates generentur ex primis, & dum corrumpuntur,tranſeunt iñ primas,quæ primæ ſemper remittuntur.

Controuer. 1. ſuper contex. 22.

SCribit Ariſt. in iſto contex. materiã æqualiter, & indifferenter ſe habere ad formas oppoſitas; An materia equaliter ſit apta recipere formas oppoſitas.

oppoſitas; Contrarium videtur poſſe colligi ex Ariſt. 2. Phy. dicēte, materiam eſſe naturam, & naturam ſemper appetere quòd melius eſt, cum verò duorum oppoſitorum vnū ſit altero melius, cum vnum gerat vicem formæ, aliud uerò vicem priuationis, igitur materia ſemper erit magis propenſa ad id quod eſt melius, quàm ad oppoſitum deterius; Quod adhuc cōprobatur authoritate Auerrois Primo Met. Com. 17. dicente, materiam ordine formas recipere; primo enim formas recipit vniuerſales, deindè minus vniuerſales, vſq; ad indiuiduas, igitur non ęqualiter; Quod adhuc ratione confirmatur, mente cōcipiamus portionē materiæ in qua duo agētia contraria ęqualiter operentur, quæ duo agentia æqualiter diſtent ab ipſa materia, certum eſt quòd ęqualiter materia ab iſtis agentibus patietur, in iſto caſu quęro cuius agentis formam recipiet? vel vtramq;, vel alteram tantum, vel nullam, non vtramq;, qa illæ formę ſunt contrariæ, vt forma ignis, & forma aquæ, nec alteram tantum, quia iam ſup poſitum eſt, illa agentia ęqualiter agere, & diſtare ab ipſa materia; Amplius, ſi materia ęqualiter ambas reſpicit, vt dicit Ariſt. quare igitur magis illam, quàm alteram recipiet? huius eſt redenda ratio; Nec eſt dicendum

quód

quòd nullam recipiat,ratio eſt, quia materia ſemper ſub altero cõtrariorum reperitur, vel ſub calido,vel ſub frigido, falſa ergo erit ꝓpoſitio Ariſt. Ex altera parte eſt Ariſtoteles in textu iſto,qui dicit materiam æqualiter ſe habere ad formas oppoſitas; Accedit etiam authoritas Auerrois 2. Phy. Com. 40.qui dicit,quòd potentia paſsiua ęqualis eſt ad cõtraria,potentia verò actiua nequaquàm,quia talis eſſet fruſtra, at potentia materiæ eſt potentia paſsiua, ergo ęqualiter ſe habebit ad contraria; Prò ſolutione iſtius difficultatis, eſt ſciendum nos poſſe diuerſas facere comparationes inter formas, & ipſam materiam, ideò diuerſimodè poſſumus loqui,quod de claro,tres poſſumus facere comparationes inter ipſas formas reſpectu materiæ, prima eſt inter formas ſubſtantiales,ſecunda inter formas accidentales, tertia eſt inter formas ſubſtantiales,& accidẽtales, & in qualibet comparatione poſſumus quęrere quam formam primò recipiat materia, vel an æqualiter omnes recipiat; Si ſermo ſit de prima comparatione quę eſt inter formas ſubſtantiales,conſiderandum eſt an illæ formæ ſint eiuſdẽ generis,ſeù gradus,an alterius,ſeù diuerſi gradus Formæ eiuſdem ordinis,ſunt formæ quatuor elementorum,de quibus ſi ſit ſermo,di-

cendum eſt materiam æqualiter illas recipere, ſicq; Ariſt. in præſenti contextu eſt intelligendus; Formę ſubſtantiales diuerſi ordinis ſunt formæ elementorum, & formę miſtorum, de quibus ſi loquamur eſt affirmandũ materiam non æqualiter illas recipere, ſed ordine quodam, materia enim primo recipit formas elementorum, quibus mediantibus recipit formas miſtorum, ſicq; Auerroes loco citato eſt rectè loquutus; & hoc idem eſt intelligendum de formis quæ ordinantur ſecũdum ordinem prædicamẽtorum, forma enim ſpecifica præſupponit formam genericam, vt forma hominis præſupponit formam animalis, & hæc præſupponit formam corporis miſti, & hoc idem de alijs audiatur, quo modo præcipuè eſt intelligendus Auerroes loco ſuprà citato, dum dixit materiam ordine recipere ipſas formas, primo enim recipit formam vniuerſalem, deindè minus vniuerſalem, vſq; ad indiuiduas, Socrates namq; nõ eſt, niſi præexiſtat homo, nec eſt homo, quin præfuerit animal, quod idem de alijs formis intelligatur; Si verò diſputatio fuerit de formis accidentalibus, tunc erit animaduertendum an illæ formæ ſint adinuicem oppoſitæ, vt eſt calidum, & frigidum, vel non; Si primo modo, dicam materiam illas æqualiter reſpicere

ſpicere, ſi verò non fuerint ad inuicem oppoſitæ, ſic eas non æqualiter reſpiciet, ſed ordine ſeruato, nam primò reſpiciet quantitatem, mediante qua recipiet alias formas accidentales, cum primum accidens quod in materia fundatur ſit ipſa quantitas, mediante qua recipit ipſas qualitates, ideò eſt, quòd in materia dantur quantitates interminatæ coæternæ ipſi; Si modo loquamur de formis ſubſtantialibus, & accidentalibus, & fiat inter illas comparatio, & quærat quis quas materia primo recipiat, in hoc inter ſe Expoſitores ſunt varij, prò nunc affero opinionem, quam credo eſſe veriorem, dicoque has formas accidentales poſſe diuerſimodè cõſiderari, vno modo prò vt ſunt præuiæ diſpoſitiones diſponẽtes materiam prò receptione formarũ ſubſtãtialium, alio modò vt ſunt formæ indeterminatę, tertio modo prò vt ſunt proprietates inſequentes formam ſubſtantialem, poſſunt vltimò conſideri prò vt ſunt inſtrumẽta formarum ſubſtantialium, ſi primo, ac ſecundo modo conſiderentur, ſic præcedunt formas ſubſtantiales, ſi tertio conſiderentur modo, ac etiam quarto ſic ſubſtantiales ſequuntur; Et ex his ſoluuntur difficultates propoſitæ, prima cõcludit veritatẽ cõſiderãdo ma-

do materiam merito ſui,ac quo ad eius intẽtionem,at ſi conſideretur materia quo ad ordinem receptionis,tunc dicendum eſt materiam poſſe æqualiter vtrumq; recipere,& calliditatem,& frigiditatem, humiditatemq; ac ſiccitatem; Authoritati Auerrois iam eſt ſatisfactum; Vltimum argumentum tollitur, negando agentia contraria poſſe taliter eſſe diſpoſita,quòd ęqualiter eamdem reſpiciant portionem materiæ; Quod ſi ſupponatur,ac admittatur, dicendum erit, neutrum illorum poſſe ſuum proprium producere effectum, ſed producent formã mediam; exempli gratia,illa duo agentia contraria ſint ita ꝙ vnum ſit calefaciens,aliud ſit refrigerans,tunc dico quòd calefaciens non calefacit in ſummo, nec refrigerans in ſummo refrigerat,ſed producent illa duo agentia contraria formã mediam,nempè ipſum tepidum.

Controuer. 2. ſuper eodem tex. 22.

An oĩum ſit vna,& eadẽ materia.

AFfirmat Ariſt. in hoc eodem context. materiam omnium quoddammodo eſſe eamdem, & quoddamodo alteram; Eamdem vocat,quatenus ſubijcitur,at ſecundum eſſe,alteram eſſe dicit; Communiter ab omnibus quęritur, an materia omniũ ſit vna? Quam difficultatem breuiter intendo declarare,quia locus eius proprius eſt in I. Phyſ,

Et primò noto, quòd cum quæritur an omnium ſit vna, & eadem materia, quòd omittitur materia cœli, materia ſecunda, pariter & materia intelligibilis; ſed ſolũ ſermo eſt de materia prima generabilium, & corruptibilium; Quæ materia poteſt tripliciter conſiderari, vno modo in ſui prima notione, ſeù quo ad prædicata primi modi per ſe, quæ de ea enũtiantur, vt quatenus eſt ens, vel ſubſtantia, & ſic de alijs; Alio modo conſideratur in ſecũda ſui notione, hoc eſt vt reſpicit formas, quas non habet, ſed poteſt habere; Tertiò modo conſideratur, prò vt actu eſt informata, ſeù vt aliquam actu habet formam; Si primo modo conſideretur, dico quòd materia ẽ eadem omnium negatiuè, nõ dico priuatiuè, ratio eſt, quia matèria in ſui prima notione ſumpta, nullam habet formam, ſic etiam nullã habet priuationem, indè eſt quòd negatiuè declaratur ab Ariſt. 7. Met. tex. 8. vbi dicit, quòd materia nec eſt quid, nec quale, nec quantum; ſicq; negatiuè eſt omnium vna, ſenſus eſt, ideſt non eſt multiplicata; Poſſumus etiam dicere, quòd hæc materia prima in hac ſui prima notione ſumpta eſt vna tranſcendenter, eò quia vnumquodq; quatenus eſt ens, eſt etiam vnum, cum ens, & vnum cõuertantur. Si verò materia conſideretur in

ſui ſecunda notione, dico quòd eſt vna, & multiplex, eſt vna priuatiuè, quia tunc conſideratur quatenùs nullam habet formã, ſed poteſt habere, eſt verò multiplex poteſtate, ſeù ratione potentiarum, eſt enim in potentia ad omnes formas; Si tertio modo de ea ſit ſermo, nempè vt actu habet aliquam formam, ſic eſt quaſi in infinitum multiplicata ratione formarum quas habet.

Controuer. ſuper contex. 23.

An generatio rectè ſit ab Ariſtot. diffinita.

IN hoc contextu quid ſit generatio manifeſtat, & dicit, quòd eſt tranſmutatio totius in toto, nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto; Obijcitur, quia aliter eam diffinit in 3. Lib. Phy. tex. 6. dum dicit, quòd generatio eſt actus generabilis in quantum generabile; In 5. Lib. Phy. tex. 7. dixit, quòd generatio eſt mutatio de non eſſe ad eſſe; In 4. Lib. Meteo. tex. 2. dixit, quòd generatio eſt permutatio facta à qualitatibus actiuis; In 2. Lib. de Ani. tex. 34. voluit, quòd generatio ſit ſimilis propagatio prò æternitate conſequenda; In Lib. de Morte, & Vita, ſcriptũ reliquit, quòd generatio eſt prima animi participatio in naturali calore; In præſenti contex. 23. dicit, quòd generatio eſt tranſmutatio totius in toto nullo ſenſibili remanẽte, vt ſubiecto; At qui fieri poteſt, quòd vnũ, & idem

ita diuerſimodè diffiniatur, cũ diffinitio ſit oratio explicans rei eſſentiam, vnius autem rei vna tantum ſit eſſentia, & per conſequẽs vna tantum diffinitio; Omitto communẽ ſolutionem, q̃ hę nõ ſunt diffinitiones, ſed deſcriptiones, vniuſq; rei plures poſſe dari deſcriptiones, ſed non diffinitiones, omitto inq̃ hanc ſolutionem, cum ſic dicentes nõ declarent quõ eadem res poſsit diuerſimodè deſcribi, Cum etiam hęc ſit vera diffinitio, ſicut fiet notum in contradictione ſubſequenti, & ſupponendo has eſſe diffinitiones, dico vnius rei vnicã eſſe diffinitionẽ, ſi vnico conſideretur modo, quæ ſi diuerſimodè conſideretur, tunc etiã diuerſimodè poteſt diffiniri, & ſic eſt in propoſito, generatio enim poteſt pluribus conſiderari modis, primò vt cõuenit cum motu, & ſic 3. Lib. Phy. diffinitione cõmuni motui conueniente diffinitur, ſicut enim motus eſt actus mobilis vt mobile, ſic etiam generatio vt cum motu conuenit, eſt actus generabilis inquantum generabile; Quæ ſi conſideretur vt diſtincta eſt à motu, tunc eſt dicendum cum Ariſt. 5. Lib. Phyſic. quòd generatio eſt mutatio de non eſſe ad eſſe, quæ diffinitio communis eſt generationi ſimpliciter, ſeù generationi ſubſtantiæ, & generationi ſecũdum quid, ſeù

ſeũ generationi accidentium, ideò Ariſt. loco allegato poſtquàm diffiniuit generationẽ modo dicto acceptam, eam ibidem diuiſit in generationem ſimpliciter, & in generationẽ ſecundum quid: Tertio modo poteſt conſiderari generatio, quatenus eſt diſtincta ab alteratione, quo modo conſideratur in præsẽti Libro, eſt enim hic ſubiectum, de eaq; loqtur in communi, quatenus conuenit ſubſtantiæ ſimplici, & compoſitæ, & alijs; Quarto modo conſideratur generatio, vt competit tantum ſubſtantiæ miſtæ, quò modo eam diffinit in 4. Lib. Meteo. dum dicit, quòd eſt permutatio facta à qualitatibus actiuis, quæ diffinitio generationis omni conuenit ſubſtantiæ miſtæ, tàm animatæ, quàm inanimatę, cui generationi eſt oppoſita putrefactio, quã etiam ibidem diffinit; Inſuper conſideratur generatio, vt tantum conuenit ſubſtãtiæ animatæ, & ſic in Lib. 2. de Ani. eam diffinit, dum dicit, Generatio eſt ſimilis propagatio prò æternitate conſequenda, ibi enim dixit, (Naturaliſsimum omnium eſt viuentium generare ſibi ſimile;) Ex quo dicto diffinitio generationis prædicta colligitur; Vltimo conſideratur generatio, quatenus eſt productio rei viuentis, & ſic eam diffiniuit in Lib. de Morte, & Vita, dum dixit, quòd eſt prima

animi participatio in naturali calore; Ex q; bus colligitur, quòd in alijs locis à præſenti contraxit, limitauitq; generationem, at hic tantum de ea vniuerſaliter eſt loquutus.

Controuer. 2. ſuper eod. contex. 23.

CVm diffinitio generationis in hoc cõtex. ab Ariſt. allata, ſit veluti principium in iſtis libris, & circà principia ſit maximè ellaborandum iuxtà Ariſt. præceptum ab ipſo traditum Primo Cœli cõtex. 23. cuius pręcepti adduxit rationem hanc, q; paruus error in principio fit maximus in fine; idcircò talis diffinitio erit declaranda, & conſiderandum erit, an retineat veritatẽ; & pró parte negatiua aſſero tres inſtantias, prima eſt, in qualibet generatione remanet materia, quæ eſt pars totius, ergo generatio non erit tranſmutatio totius in totum, vt patet, cum enim totum conſtet ex partibus, pars q; remaneat, igitur totum non vertetur in totum; Inſuper in iſta diffinitione ponuntur ſuperflua, ergo eſt mala; probo antecedens, ſi enim generatio eſt mutatio totius in totũ, ad quid addere illam particulam, (nullo ſẽſibili remanente,) hæc erit ſuperflua, ſi enim totum vertitur in totum, ſat igitur eſt dicere, generatio eſt tranſmutatio totius in totũ; Aſſero tertiam inſtantiam magis difficilem, quæ

Examinatur diffinitio generationis.

quæ innititur in hoc fundamento manifeſto, quòd in quolibet viuente vltrà ipſam animá eſt forma miſti, adſunt etiam in eo formæ elementorum; Quo ſuppoſito ſtánte ſic arguo; Corrumpatur Socrates, generatur cadauer, in illa generatione nón fit mutatio totius in totum, eo quia remanet forma miſti, remanent etiam formæ elementorum, ſiuè remaneāt in eſſe ſummo, ſiuè remiſſo, hoc nihil eſt, ſat eſt quòd remaneant, & cum omnis forma dicat totalitatem, remanet igitur ſenſibile, & compoſitum, igitur generatio non erit tranſmutatio totius in totum; Antequàm hæc diluantur argumenta, declaro hanc diffinitionem, quod fuit primum propoſitorum conſiderádum; & declaro hanc eſſe veram diffinitionem, eo quia habet conditiones requiſitas veræ diffinitioni, quarum principalis eſt, quòd bona diffinitio conſtet ex genere, & differẽtijs, quæ in hac reperiuntur, dicit (generatio eſt mutatio,) hæc prima particula ſtat loco generis, cum mutatio ab Ariſt. hic ſit accepta quatenus eſt à motu diſtincta; quo autẽ modo à motu diſtinguātur habetur à Phyloſopho in 5. Lib. Phy. Addit ſecundam particulam (Totius in totum,) quæ eſt prima differentia; quam ponit, ad hoc vt diſtinguat generationem ſubſtantiæ à generatione accidentium,

cidentium, quæ potius eſt alteratio, nam accidentia etiam generantur, vt exempli gratia ſi dicamus, ex non albo fit album, hæc enim eſt mutatio, at ſi dicamus, ex albo fit nigrum, tunc eſt motus, & ideò cum mutatio conueniat etiam generationi accidentium, addit differentiam, per quam generatio ſubſtantiæ ſeiungitur à generatione accidentium, & dicit, (Totius in totum,) quià in generatione ſubſtantię conſideratur totalitas, quę totalitas conſurgit ex compoſitione materiæ cum forma, quià totum ſubſtantialę fit ex materia, & forma tamquàm ex partibus, quod totũ aquiritur in generatione, & deperditur in corruptione, ſicq; totum vertitur in totum, quòd non contingit in alteratione, ſeu in generatione accidentium; Addit tertiam particulã, (Nullo ſenſibili remanente,) quæ & ſi communiter exponatur, quòd nullum ſenſibile remanet, ideſt, non remanet aliquid quod ſub ſenſu cadat, quod prius eſſet; Addo tamen, quòd per ſenſibile intelligit compoſitum, quod enim eſt ſenſibile, eſt compoſitum, quia compoſitum eſt quod ſub ſenſu cadit, ſicq; dicit, nullum ſenſibile remanere, quià nulla pars compoſiti, quàuis exigua, remanet, quemadmodum ſi ex ſemine fiat ſanguis, & eſt exemplum quo Ariſtot. vtitur in textu, ſemen

adeò vertitur in ſanguinē, vt nulla pars ſeminis, quamuis exigua remaneat; Addo etiā quòd cum per ſenſibile intelligat compoſitum, quòd addit hanc particulam (ſenſibile) ad differentiam materiæ, quæ licet remaneat, non eſt tamen ſenſibilis, ſed eſt ſubiectum tranſmutationis; Addit hanc vltimam particulam, (vt ſubiecto eodem,) ad hoc vt magis pateat differentia generationis ab alteratiōne; dicit enim in textu, quòd in re quę trāſmutatur, duo eſſe conſideranda, ſubiectum, & accidentia, & per ſubiectū intelligit ſubſtantiam, quę ſubſternitur accidentibus; in quibus accidentibus ſi fiat mutatio, dicitur alteratio, at ſi mutatio fiat in ſubiecto, dicitur generatio, ob hoc addit, (vt ſubiecto eodem,) per ſubiectum q; intelligit ipſum cōpoſitum quod eſt ipſamet ſubſtātia compoſita, ſicq; nihil ſubſtantiæ compoſitæ, quæ erat pars præcedētis remanet, quæ poſsit eſſe pars ſubſequentis, & ſic totum conuertitur in totum adeò quòd nullū ſenſibile remanet, cuius totum oppoſitnm eſt in alteratione; Quæ diffinitio ſic intellecta, ſoli conueniet generationi, ac cum ipſa conuertetur, eritq; vera diffinitio; Ex quibus diluuntur argumenta; Et ad primum dico, quòd & ſi totum conſtet ex materia, & forma, totalitaſ

tamen

tamen dependet à forma ſecundùm Ariſt. q̃ patet eſſe verum, nam ſi forma amittatur, totũ deperditur, & corrumpitur; Amplius, quia ſecundum Ariſt. forma eſt tota rei quidditas, & eſſentia, dico quidditatem, & eſſentiam, q̃a ſecundum Græcos hæc nõ diſtinguuntur, licet ſecundum Latinos quidditas ab eſſentia ſit differens, & ideò 2. Phy. contex. 11. Ariſtot. dicebat, quòd antequàm adueniat forma carnis, nihil carnis adeſt, eſt notandum, q̃ cùm dicit, (nihil carnis adeſt,) denotat totalitatem carnis conſurgere ex materia, & forma, ideò rectè dixit, (generatio eſt mutatio totius in totum;) Ad ſecundum, dico quòd ſi (totum) rectè accipiatur, ſat erat dicere, (totius in totum,) ſicut rectè probat argumentũ, at quia totum eſt multiplex, vltrà enim totũ ſubſtantiale quòd eſt compoſitum ex materia, & forma, datur etiam totum quod conſtat ex ſubiecto, & accidente, quod eſt totum per accidens, ideò ad maiorem explicationẽ addidit, (Nullo ſenſibili remanẽte;) ideſt nulla pars compoſiti quamuis exigua remanet; Ad tertium, Quidam volentes illud euitare, dixere Ariſt. non diffiniſſe omnem generationem, ſed ſolam generationem elementorũ ex ſe inuicem, vt quando ex aere ſit aqua, & è contrà; Sicq; difficultas eſt nulla; Quæ ſo-

lutio non eſt ad mentem Ariſt. cum ipſe nedum afferat exempla in ipſis elementis, ſed etiam in miſtis, dicens, (vt ſi ex ſemine fiat ſanguis;) Quod adhuc confirmatur, quià eo modo quo accipit alterationem, conſimiliter accipit generationem, ſed capit alteratione vt communis eſt ſimplicibus, & miſtis, ergo eodem modo accipiet generationem vt ſcilicet communis eſt generationi ſimplici, & miſtorum, falſa igitur eſt talis reſponſio; Thomiſtæ aliter reſpondent, & negant antecedēs; dicuntq; falſum eſſe in quolibet viuente eſſe plures formas, cum tantum vna ſit; quam opinionem nunc non intendo examinare, cui opinioni ſi quis velit ſubſcribere, adhuc etiā difficultas eſt nulla; At ſupponendo elemēta formaliter in miſto remanere, ſciendum eſt non omnes formas ipſi miſto dare ſpecificū eſſe, nec omnes ipſum conſtituere ſub ſpetie, quia ſi ſic eſſet, tunc vnum, & idem eſſet ſub diuerſis ſpebus eiuſdē prædicamenti, quod eſt abſurdū, forma igitur per quam compoſitum ſpecificatur ſit tantum vna, vt exempli gratia, forma per quā Socrates eſt ſub ſpetie hominis, eſt tātum vna, & licet in eo plures ſint formę, non omnes tamen ipſi dant eſſe ſpecificum, ſed eſt vltima quæ aduenit, quę conſtituit ipſum in eſſe, quæ forma ſi pereat,

tunc

tunc ipſius compoſiti nihil remanet, vt ſi forma per quam homo conſtituitur ſub propria ſpetie deperdatur, tunc nihil ipſius hominis remanet, ſicq; in ipſa generatione totũ mutatur in totum, adeò quòd nullum remanet ſenſibile, ſicq; patet diffinitionem hanc generationis eſſe rectam.

Controuer. 1. ſuper contex. 25.

PRoponit eſſe agendum de auctione, ſibi repugnare videtur, cum de ea pertractare non ſit munus præſentis negotij, quod declaratur, primo quia pertractat de auctione quæ conuenit ipſis viuentibus, ſicut patet dum affert conditiones auctionis tres in contex. 35. quæ conditiones ſoli viuentium auctioni conueniunt, de qua auctione viuentium agere in hoc libro non poteſt, cuius ratio eſt, quia illa paſsio in aliquo libro non eſt conſideranda, cuius principia in tali libro non poſſunt aſsignari, at principium auctionis dictæ præcipuum eſt anima nutritiua, de qua hic agere non ſpectat, ſed pertinet ad Lib. 2. de Anima, de qua ibi tractatur ab Ariſtot. igitur nec de ipſa auctione conuenienter poterit hic pertractare; Quòd etiam ſecunda ratione manifeſtatur; Ariſtot. in hoc præſenti libro tractat

An agere de auctione ſit munus præſentis libri.

de generatione in communi, & de his quæ conueniunt ipſis generabilibus in communi, vt habetur clarè ab ipſo in tex. 1. at auctio non conuenit omnibus generabilibus in cõmuni, cum non conueniat ipſis elemẽtis, nec ipſis mineralibus, ſed tantum ipſis viuentibus, ergo de ipſa auctione nõ poterit hic pertractare; Huic difficultati poſſumus duobus modis reſpondere, primo negãdo antecedẽs, quòd de ſola viuentium auctione pertractet, immó dicimus Ariſt. agere de auctione in cõmuni, verum eſt tamen, quód hęc auctio ſic communiter accepta non eſt nomen vniuocũ nec de ſubſe contentis prædicatur vniuocè, ſed analogicè, & per prius de auctione viuentium pędicatur, at ſecundario de auctione aliorum etiam verificatur, vt potè elemẽtorum, quæ etiam quoquo modo augeri dicuntur, licet propriè loquendo ſola viuentia dicantur augeri, & prius agit de aúctione viuentium, quia hac declarata, aliæ etiam innoteſcunt, ſicut etiam in Libris Poſt. agens de demonſtratione, præcipuam, ſeũ potiſſimam demonſtrationem principaliter intendebat, vt illa declarata, cœterę pateſierent, ſic quoq; in præſenti, idcircò antecedẽs fuit negatum; Sed illo admiſſo, reſpondetur alio modo, negando conſequentiam, ſed tunc eſt notan-

notandum, quòd auctio dupliciter conſideratur, vno modo vt eſt opus animæ vegetatiuę, tria enim ſunt eius opera, nutrire, augere, & generare ſibi ſimile, & hoc modo de ea tractare pertinet ad libros de Ani; Alio modo conſideratur auctio, quatenus eſt quæ à rerum naturalium tranſmutatio diſtincta ab alijs tranſmutationibus, à generatione, alteratione, & miſtione, ab alijsq; huiuſcemodi de qua ſic accepta, in his pertractat libris, & tunc ſoluentur argumenta; Ad primum, cócedo principia auctionis hic non inquiri, loquendo de auctione primo modo ſumpta, vt eſt operatio animę vegetatiuę; at ſi conſideretur ſecundo modo, vt eſt tranſmutatio conueniens rebus generabilibus, & corruptibilibus ab alijs tranſmutationibus diſtincta, illud aſſumptum negatur, immò eius principia, & paſsiones hic conſiderantur; Cum dicebatur ſecundo, auctionem tantum ipſis viuentibus cõuenire; Hoc negatur, immò omnibus conuenit generabilibus, licet propriè loquendo, & principaliter, ſolis competat viuentibus, at vniuerſaliter omnibus aptatur mortalibus, & hoc, vt diſtinguatur ab æternis, quibus non conuenit.

Controu. 2. ſuper eodem contex. 25.

An Ariſt. exequatur ea, quæ in tex. proponit.

VIdetur Ariſt. repræhendendus in iſto contextu, cum nõ declaret ea quę proponit, ſed ea quę non proponit declaret, & horum vtrumq; manifeſtatur; proponit enim docere quomodo auctio differat à generatione, & alteratione, an hæc differant tátum in eo circà quod, & hoc non pręſtat, ſed docet eorum conuenientiam; Augetur difficultas, quia docens conuenientiam inter illas tres tranſmutationes dicit, (Vtraq; fiunt ex potentia exiſtẽtibus in actum) malè loquitur, quia tres propoſuit tranſmutationes, non igitur poteſt dicere (vtraq;) cum vtrũq; de duobus tantum dicatur; Declarat etiam id quod non propoſuit, quia docet quomodo auctio diſtinguatur à motu locali, de quo motu locali nihil propoſuit; Prima ceſſat difficultas, quia ſi non expreſsè docet talem differentiam, tacitè tamen illam manifeſtat, cũ enim dicit omnes illas tres mutationes conuenire in hoc, quòd fiunt ex potentia tali in actum, tunc ſequitur earum differentia, quæ eſt, quòd auctio eſt circà ſubſtantiam, alteratio circà qualitatem, auctio verò circà quantitatem; Secundæ ſatisfacit Io: Gram, qui dicit Ariſt. vſum fuiſſe illa particula (vtraq;) conſiderando illas tranſmutationes ſecundú genus,

genus, cum in genere ſint tantum duæ, vna circà ſubſtantiam, & hæc eſt generatio, & corruptio, aliæ verò ſunt circà accidens; Tertia etiam tollitur à Io: Gram. qui notat Ariſtot. docere quomodo auctio diſtinguatur à motu locali incidentaliter, & non ex principali propoſito, cum enim auctio habeat aliqualẽ cum motu locali conuenientiam, ideò ex cõſequio quodam declarat differentiam illius à motu locali.

Controuer. 3. ſuper eodem contex. 25.

An id ꝙ alteratur pariter, & id ꝙ generatũ mutetur localiter

DIcit Phyloſophus quòd id quod alteratur, & id quod generatur ex neceſſitate non mutatur ſecundum locum; Oppoſitum habetur ab ipſo in 8. Phyſ. contex. 55. vbi docet motũ localem omnes alios præcedere motus; Solutio huius difficultatis habetur à Io: Gram. qui dicit, motum localem omnibus alijs motibus eſſe priorẽ vel ratione mouentis, vel ratione ipſius mobilis, & ſic motus localis præcedet generationem, & alterationem ſaltem ratione mouentis, cũ nihil poſſit generari, vel alterari quin motus localis ſit in generãte, vel in alterãte; Si modò dicit in pñti textu oppoſitũ, hoc veritatẽ habet cõſiderãdo generationẽ, & alterationẽ reſpectu mobilis, ceruſa. n. ex plũbo facta nõ mutat locũ; ſimiliter nec lac factũ ex sãguine moue-

mouetur localiter, idem quoq; de eo ꝙ alteratur eſt intelligendum, lapis enim calefactus ſtat quòd nullo petmutetur loco.

Controuer. 4. ſuper eod. contex. 25.

An id ꝙ augetur mutet locum ſm̃ partes tãtũ, vel ẽt ſm̃ totũ.

PONIT Ariſt. differentiam hanc inter id ꝙ augetur, & inter id quòd mouetur localiter, id quòd augetur mutat locum ſecundum partes, at id quod mouetur localiter mutat locum ſecundum totum; Primo dicto obſtat ipſemet in contex. 35. vbi dicit, eius quod augetur quálibet partem augeri, ſi ſic, ergo quòd augetur ſecundum totum mutabit locum, cum eius omnes partes augeãtur; Neganda ſemper erit conſequentia, eò quia ſi omnes partes ipſius aucti augentur, & mutãt locum, hoc eſt verum ſi diſtributiuè ſint acceptæ, ergò totum collectiuè mutabit locũ, non valet, quia non valet arguere à partibus diſtributiuè ſumptis ad ipſum totum, exemplum, cœlum ſecundum omnes partes mutat locum, ergo ſecundum totum, non valet, quia cœlum mutat locum ſecundum omnes partes diſtributiuè ſumpras, minimè ſecundum totum.

Controuer. ſuper contex. 29.

An poſſit dari materia ſine forma.

IN vltimis verbis contex. 29. dicit Ariſt. materiam ſine priuatione eſſe non poſſe, nec ſine forma; Cuius oppoſitum colligi-

tur ex regula quam ipſe tradit 8. Phy. cõtex. 37. quæ eſt, quando eſt aliquod compoſitum ex duobus, quorum vnum ſeorſum ab alio eſſe poteſt, & aliud etiã poteſt eſſe ſine alio, & ideo per talem regulam probabat ibi dari motorem immobilem: ſic arguẽdo; Datur cõpoſitum ex motore, & mobili; datur mobile ſolum, ergo dabitur motor ſolus; Similiter ex tali regula ſic argumentor; Datur compoſitum ex materia, & forma, datur forma ſine materia, ergo dabitur materia ſine forma; Quod etiam duabus comprobatur rationibus, Omne prius poteſt eſſe ſine ſuo poſteriori, at materia eſt prior omni, & quacumq; forma, tàm ſubſtantiali, quàm accidentali, eo quia materia eſt æterna, quęlibet forma eſt corruptibilis, igitur materia poterit eſſe ſine qualibet forma; Inſuper, quæ per accidens adinuicẽ coniunguntur, poſſunt adinuicem ſeparari, at materia, & forma per accidens adinuicem vniuntur, ergo poterunt adinuicem ſeparari, & per cõſequẽs materia poterit eſſe ſine omni forma; Maj: habetur ab Ariſt. 2. Phy. contex. 3. vbi dixit, quæ per accidens adinuicẽ vninntur, poſſunt adinuicem ſeparari, & dabat exemplum de medico ſeipſum curante; cum hoc ſit per accidens, ideò ſeparantur, ibi dicebat, quod etiam pluribus in locis Primo

Poſt.

Poſt. affirmauit; Mi: probatur à Scoto, qui dicit, quód materia nullam ſibi determinat formam, ideõ per accidens eſt, quód huic, vel illi formæ vniatur; Antequàm huic difficultati ſatisfaciam, In primis declaro Ariſt. ſententiam eſſe vetam, nimirum materiam ſinè formis ſeorſum eſſe non poſſe, idq; triplici oſtendo ratione, & primo ſic arguo; Quod implicat contradictionem non eſt admittendum, at materiã ſine forma eſſe implicat contradictionem, ergo &c. Mi: probatur p Auerroem 2. Phy. 12. & 3. Cœli 29. in quibus locis dicit Auerroes, ſi materia eſſet ſeorſum ſine forma, tũc amplius materia nõ eſſet in potentia, ſed eſſet in actu, hoc autem dicere implicat contradictionem, quia idem affirmatur, & negatur, quòd declaro, quando dicitur materia, tunc dicitur quód non eſt actu, ſed potentia, at quando dicitur quòd ſeorsũ exiſtit, & ſine forma, tũc dicitur quòd eſt actu, ſicq; idem eſt ac ſi dicatur, materia eſt actu, & non eſt actu, quod eſt implicare cõtradictionem; Secundo probo, quòd abſolutè materia non poſsit eſſe ſine forma, quod idẽ eſt, ac ſi dicatur, quód materia nec per naturalem potentiam, nec per diuinam poteſt eſſe ſinè forma, & ratio eſt hæc; Secũdum Theologos Deus poteſt ſubire vicem omniũ cau-

ſarum, præterquàm cauſæ formalis, quia hoc implicaret contradictionem, quod declaro; Primo Deus ſupplet vicem cauſæ materialis, (& hæc eſt rei veritas,) cum faciat accidentia eſſe ſinè ſubiecto, & materia, vt manifeſtè patet in Sacràmento Altaris; Subit etiam vicem efficientis, ac finis, cum Deus ſit omnium efficiens, & finis; at vicem cauſæ formalis minimè ſupplere poteſt; quia Deus non poteſt facere quòd paries ſit albus ſine albedine, quòd homo ſit rationalis abſq; rationalitate, quia hæc implicant contradictionē ex parte rei; Cum igitur Deus vicem cauſæ formalis ſubire nō poſsit, ſequitur quòd nec per naturalem, nec per diuinam potentiam materia poſsit eſſe abſq; forma; Tertia ratio eſt hęc; In vniuerſo nihil eſt poſsibile, quod aliquando non fuerit, & hoc pręcipuè eſt verum in æternis, in quibus eſſe, & poſſe cōuertuntur, at materia numquàm fuit ſinè forma, igitur nec erit, quia dato oppoſito, ſequuntur abſurda, ad quæ deducit Ariſt. dum loquitur de materia auctionis, nam dicit, ſi datur materia ſeparata, vel erit vt punctū, vel vt vacuum, vel vt corpus inſenſibile, ſed nullum horū eſſe poteſt, vt in textu declarat, ergo &c. Et hęc sūt fundamēta cōcluſionis p̄dictæ, in qua

in qua conueniu... omnes Phyloſophi; at lis eſt inter D. Thomã, & Scotum, qui vt Phyloſophi non diſſentiunt, ſed vt Theologi; Diuus Tho: dicit, Deo eſſe impoſsibile ſeruare materiam ſine forma, Scotus oppoſitum tenet, at cum nos loquamur nunc ſecũdum Peripatheticos, litem hãc inter Theologos ipſis dijudicandam Theologis relinquo, & reſpõdeo rationibus prius adductis; Et primo dico regulam in qua fundatur prima ratio, vniuerſaliter non eſſe veram, quia quando ſeparatiõ alicuius illorum duorum implicat contradictionem non eſt vera, ſicut eſt in propoſito de materia; Secundo, aliter reſpondeo, & admitto totum argumentum, & cõcedo dari materiam ſeorſum à forma, ſed cum dicitur dari formam ſeorſum, dico quòd hoc verificatur de formis inmaterialibus, quemadmodum ſunt intelligentiæ, cum verò infertur, ergo dabitur materia ſeorſum, concedo hoc, ſed dico quòd talis materia eſt ipſum cœlum illi formæ immateriali, & ſimplici correſpõdens, quia ipſum cœlum ſecluſa intelligẽtia ſecundum Ariſt. eſt ſimplex materia, & non eſt compoſitum ex materia, & forma, ſed eſt materia in actu, ſicut autem non datur forma materialis ſeorſum, ſic quoq; nõ dabitur materia, ſcilicet mortalis ſeorſum, quocircà con-

cludo

cludo, quòd ſicut materia mortalis non poteſt eſſe ſine forma ſubſtantiali, tanto minus poterit eſſe ſine forma accidentali; cum formę accidentales ſint, vel proprietates fluētes à formis ſubſtantialibus, vel ſint formarum ſubſtantialium accidentia, vel earumdem inſtrumenta, vel illarum ſint prę uiæ diſpoſitiones; Sed replicabit ille, prius poteſt eſſe ſine ſuo poſteriori, ſed materia cum ſit ſubſtantia, eſt prior ipſis accidentibus, igitur ſine illis, ſeù ſeparata ab illis dabitur; Sueſſanus hic reſpondet, quòd ſubſtantia abſolutè loquendo, vt ſubſtātia poteſt ſeparari ab accidentibus, at vt talis ſubſtantia, nempè vt materialis, nequaquàm poteſt ſeparata ab accidentibus eſſe, quemadmodum talpa abſolutè accepta, ac vt animal, videt, ſed vt tale animal nequaquàm; Sed contra eum ſic argumentor; Quotieſcumq; reduplicatio verificatur de aliquo, verificatur etiam de omni ſub illo contento, ſeù ſit propoſitio vniuerſalis, exempli gratia, ſi homo in quantū homo eſt riſibilis, igitur omnis homo erit riſibilis, ſimiliter ſi animal quatenus animal ſētit, ergo omne animal ſentit, cuius ratio eſt, q̄a quod conuenit alicui ſecundum quòd ipsū, ei conuenit per ſe, & de omni; Dicendum eſt igitur, quòd ſubſtantiæ vt ſubſtantia nō re-

pugnat

pugnat poſſe ſeparari ab accidentibus, non tantendico (nō repugnat,) quià aliud eſt dicere (non repugnat,) aliud eſt dicere (poteſt ſeparari,) cum dicitur non repugnat, denotatur quòd ſubſtantia eſt in potētia vt ſeparetur, & non ſeparetur ab accidentibus, at cum dicitur, poteſt ſeparari, hoc non denotatur; Vel erit dicendum, prius poſſe ſeparari à poſteriori per intellectum, non autem ſecūdum rem; Qua etiam reſponſione tollitur, prima ratio qua comprobabatur, materiam ſine formis eſſe poſſe, nā dicebatur, omne prius poteſt eſſe ſine poſteriori; quæ propoſitio eſt vera quò ad intellectum, at ſecundum rem nequaquàm; quò ad intellectum veritatem habet, quià intellectus ſemper concipit ipſū prius non concepto ſuo poſteriori, & hæc limitatio eſt ipſius met Ariſtót. Quinto Meta. Cap. de Priori, vbi dicit, illud eſſe altero prius, quod intelligitur ſine poſteriori, pariter 2. Phy. contex. 12. dixit, quòd forma ratione eſt ſeparata à materia, hoc autem tantū fit intellectu; Vel dicatur, materiā dupliciter cōſiderari, vno modo quò ad eſſentiā, alio modo quò ad actualem exiſtentiam; quò ad eſſentiam eius, eſt prior omni forma, at quò ad actualem exiſtentiam, eſt poſterior, eò quia tunc dependet à forma; quòd enim materia

repe-

repcriatur actu ſubſiſtēs; hoc eſt meritò for-
mæ, ſicq; nos in propoſito conſideramus materiam, nempè quo ad actualem exiſtentiam; Vltimæ rationi ſatisfacio, præmiſſa hac diſtinctione, quòd determinare ſibi aliqd, ſtat dupliciter, vel ſignatè, ſeù determinatè, vel indeterminatè, declaro, Corpus non ſibi determinat locum ſignatè, & diſtinctè, qa corpus ſinè quocumq; loco determinato, ſeù particulari, & ſignato eſſe poteſt, at corpus ſibi determinat locum indeterminatè ſumptum; ſimiliter in propoſito de materia eſt dicēdū, quę formam determinatè nō ſibi limitat, at benè ſibi determinat formam indeterminatè, ad argumentum, minor eſt falſa, quæ probabatur; quia materia nullam formā particularem ſibi determinat; patet reſpōſio quòd materia nullam formam particularem, & determinatam ſibi determinat, at benè formam particularem indeterminatam.

Contrōuerſ. ſuper contex. 34.

An virtus alteratiua ſit in eo, quod alteratur ſimiliter & auctiua in aucto.

IN fine iſtius contextus dicit Ariſt. virtutem alteratiuam eſſe in eo quod alteratur, ſicut etiam virtus auctiua eſt in eo quod augetur; Contra, inſtat Io: Gram. ſi ſic eſſet, idem à ſeipſo alteraretur, quod eſſe falſum patet ſenſu; corpus enim noſtrum calefit

calefit ab igne frigefit à niue, ſicq; virtus alteratiua non eſt in nobis, ſed eſt extrà, Similiter eſt de cęra cum figuratur à ſigillo, quæ tunc alteratur, patet virtutem alterantem eſſe in ſigillo & non in cęra, Soluit Io: Gram. hanc difficultatem, & primo ex ſentẽtia Alexan. qui dicit, virtutem alteratiuam eſſe in duplici differentia, alia eſt inchoatiua, alia actuatiua, prima eſt in alteráte, actuatiua verò eſt in eo quod alteratur, quæ ſolutio manifeſtatur exemplo ſumpto à pipere, à cicuta, quæ ſi apponantur corpori noſtro nõ calefaciunt, nec infrigidant, referendo ſingula ſingulis, quæ demum alterant corpus noſtrũ cum à calore illius actuátur, hoc idem innoteſcit exemplo ſumpto à pharmaco exhibito ægrotanti, quod non alterat illius corpus, niſi actuetur à calore illius, ſimiliter eſt de aere recluſo inter lecti linteamina, qui non calefacit corpus noſtrum, niſi prius ipſe aer ſit calefactus à corpore noſtro, de qua virtute actuatiua Ariſt. erit intelligendus, dum dicit virtutem alteratiuam eſſe in eo quod alteratur, de inchoatiua argumenta concludunt; Dat aliam ſolutionem Io: Gramat. ex mente propria, quę ſolutio eſt eadem cum illa Alex. dicitq; virtutem alteratiuam eſſe duplicem, aliam proximam, quam dicitur eſſe in alterá-

te, aliam remotam, quam ponit in ipſo altera- to, vbi notandum eſt, quòd virtus alteratiua remota, nil aliud eſt quàm virtus actuatiua alterationis; Quòd virtus auctiua ſit in aucto, triplici ratione comprobat Io: Gram. prima, in eo in quo ẽ virtus nutritiua, in eo quoq; eſt virtus auctiua, ſed virtus nutritiua eſt in eo quod augetur, ergo & in eo erit virtus auctiua; Secunda, in eo in quo eſt virtus aſſimilatiua, in eo pariter eſt virtus auctiua, at virtus hæc aſſimilatiua eſt in aucto, & non in cibo, ergo; Tertia, in eo quod permanet eſt virtur auctiua, at auctum permanet; igitur in eo erit virtus auctiua, Sed dicet ille, quæ eſt cauſa quòd quatuor exiſtentibus mutationibus, generatione, alteratione, auctione, & loci mutatione, quòd principiũ illarũ inchoatiuum ſit tantum in eo quod augetur, ſimiliter & in eo, quod localiter mouetur, in alijs duabus non, ſed ſit ab extrà; Huic difficultati pariter ſatisfacit Io: Gra. in com. 92. dicit virtutem generatiuam nõ eſſe in eo quod generatur, ob hanc cauſam, quia id quod alteratur eſt cauſa, id actu debet exiſtere, at id quod generatur, actu non exiſtit, ſed benè ipſum generans, igitur hæc potentia generatiua erit in generante, & non in generato; Virtus quoq; corruptiua non eſt in eo quod

corrumpitur, ratio eſt, q͂a quodlibet ens diligit ſui permanentiã, quod non eſſet, ſi virtus corruptiua eſſet in eo quòd corrumpitur, & hoc intelligatur de corruptione naturali, erit igitur in ipſa efficiẽte; Virtus pariter alteratiua proxima, ſeũ inchoatiua erit in alterante, & non in alterato, cauſa eſt, quia qualitas à qua prouenit, & fit alteratio, vel eſt corruptiua, vel non, ſi erit corruptiua nequaq̃ poterit eſſe in patiente, ſeũ in alterato, quia talis qualitas in tantum poſſet augeri, quòd ſeipſam corrumperet, ſi vero talis qualitas nõ ſit corruptiua, tãto minus erit in eo, quòd alteratur, quia tales qualitates nemini proſũt, & ſecundum illas non fit alteratio; Virtus motiua erit in eo quod mouetur localiter, q͂a natura eſt principium motus eius in quo eſt; Quæ Ioannis dicta non videntur habere veritatem, & præcipuè ſolutiones datæ primæ dubitationi in quibus aſſerit, virtutem alteratiuam, ab Alexandro actuatiuam, ab ipſo Io: Gram. remotam dictam eſſe in eo quod alteratur, quia ſi Ariſt. verba de hoc tali principio eſſent intelligenda, tunc ſimilitudo q̃ ipſe ponit inter id quod augetur, & id quod alteratur non eſſet conueniens, vt patet, cum principium actiuum auctionis ſit in aucto, principium verò actiuum alterationis non

 ſit

ſit in alterato; Inſuper de tali principio actuatiuo Ariſtot. non eſt audiendus, quia tale principium eſt per accidens, per accidens enim eſt quòd quis ſeipſum alteret; Inſuper hoc principium actuatiuum, ſeu remotum non ſemper agit, ſed aliquando ſic, aliquando non, vt patet, pharmacum enim exhibitum alicui non ſemper actuatur ab illius calore naturali, igitur per accidens agit, quia ſi non, ſed per ſe, igitur ſemper ageret, ea autem quæ ſunt per accidens à ſcientia ſunt excludenda; Non igitur fortaſſe erit malum dicere, quòd quando Ariſtot. dicit principium actiuum alterationis eſſe in eo quod alteratur, ipſum loqui de alteratione quæ concurrit ad auctionem, & non de qualibet alteratione, quod eſſe verum patet ex hoc, quód ſi corpora noſtra debent augeri, debet concurrere alteratio, quia de neceſsitate eſt quòd nutriantur, quæ nutritio fit per calorem naturalem, quæ eſt alteratio, ſicq; principium alterationis concurrentis ad auctionem eſt in eo quod alteratur, ſicq; Ariſtot. non loquitur de alteratione abſolutè.

Controuer. ſup. contex. 41.

An viuēs nutriatur, quo ad ſaluatur.

AFfirmat Ariſtot. viuens nutriri quouſq; ſaluatur; Opponitur primo de illis q nō digerūt, q nec nutriūtur, & tñ ſal-

ſaluantur; Pariter de illis qui sũt propè mortem, qui ſimiliter ſaluantur, & tamen nõ nutriuntur; Breuiter reſpondeo, quòd duplex eſt nutritio, alia perfecta, alia imperfecta, tũc dico, quòd illi qui non digerunt, & ſi ſaluãtur, pariter etiam nutriuntur, ſi nõ nutritione perfecta, ſaltem nutritione imperfecta, con ſimiliter eſt dicendum de illis qui ſunt propè mortem.

Controuer. 1. ſuper contex. 43.

An Ariſ. ſit ſuperfluus hic de actione, & paſſione pertractans.

PRoponit eſſe agendum de actione, & paſsione; Superfluus videtur eſſe, cum de his in 5. Metaph. abundè tractauerit; cum etiam de his abundè egerit in Prædic. ad quid ergo de illa nunc proponit eſſe agẽdum? Solutio eſt, quód de his in diuerſis locis egit ſub alia, & alia ratione, quare non eſt ſuperfluus; Declaro, de illis in 5. Metaphyſ. tractauit quatenus ſunt partes entis; In Lib. vero Predic. vt habent rationem prædicãdi, hic autem de illis proponit eſſe agendum, vt ſunt mutationes naturales ab alijs diſtinctæ.

Controuer. 2. ſuper eod. contex. 43.

An oĩs actio, & paſsio ſit cum contactu.

DIcit Ariſt. eſſe agendũ de Miſtione, de Actione, & Paſsione, & de Tactu, propter hanc rationem, qa hæc omnia annectuntur generationi,

tioni, & hoc declarat, nam generationi annectitur miſtio, igitur de miſtione eſt tractandum, Miſtioni annectitur actio, & paſsio, ergo & de his eſt agendum; Actioni verò, & paſsioni annexus eſt tactus, ex quo omnis actio, & paſsio eſt cum tactu, igitur de tactu pariter eſt tractandum; Huic vltimo dicto obijcitur, ignis calefaciendo aquam in lebete, agit in ipſam, & aqua ab illo patitur, & tamen ignis illam non tangit, nec aqua ab illo tangitur; Obijcitur etiam & primo dicto, quia ſi de illis eſt tractandum propter rationem adductam, quia nempè annectuntur generationi, ſimiliter probabo, & de motu Cœli, & de intelligentijs eſſe agendũ, & ſic dicam, Generatio abſq; motu cœli eſſe non poteſt, ergo de motu Cœli erit tractandum; Vlterius motus cœli dependet ab intelligẽtijs, igitur & de illis erit agendum, Primę obiectioni reſpondetur iuxtà ſententiam Auerrois 7. Phy. com. 10. quòd duplex eſt agens, proximum, & remotum, agens prpximũ ſemper contangit paſſum, nequaquàm agens remotum, vt in exemplo dato de aqua in lebete, ignis calefacit lebetem, & lebes calefacit aquam, ipſamq; tangit, ſicq; lebes calefactus ab igne erit agens proximum, ignis verò erit agens remotum; Vltimæ inſtantię ſit ſatis,

animaduertẽdo Ariſt. tãtũ modo cõnumerare ea, quæ propinq; ãnectũtur generationi: & ſunt tria ab ipſo propoſita, at cœlũ, & intelligẽtiæ ſi generationi ãnectũtur, hoc eſt remotè, quo circà de illis nõ ꝑponit eſſe tractãdũ.

Controuer. 1. ſuper contex. 44.

An omne nomẽ multiplex ſit æquiuocũ, aut analogum.

IN primis verbis iſtius contextus videtur Ariſt. affirmare omnia nomina multiplicia aut eſſe æquiuoca, aut analoga; Cuius oppoſitum ab ipſo colligitur ex Lib. Prędi. vbi videtur velle nomina multiplicia eſſe tantum æquiuoca, idcircò tantum de æquiuocis tractauit; Reſpondendum erit cum Io: Gram. qui dicit Ariſt. hic non ita exquiſitè eſſe loquutum, ſicut in Prædica. quia hic ſat fuit Ariſt. declaraſſe tactum dici analogicè; Quod dictum Ioannis videtur fauere illis, qui dicunt analogum magis ſe tenere ex parte æquiuocorum, quàm vniuocorum.

Controuer. 2. ſuper eod. contex. 44.

An omne habẽs poſitionẽ ſit in loco.

DVm affert Ariſt. primum ſignificatum tactus, videtur dicere, omnia habentia poſitionem eſſe in loco; Cuius oppoſitum ab ipſo colligitur Primo Poſt. Cap. 18. dum ponit tertium modum quo vna ſciẽtia eſt certior altera, dicit quòd illa quæ eſt ex paucioribus eſt certior, & dat exemplum de Geometria, & Arithmetica, nam Arithmetica

eſt illa certior, quia vnitas quæ eſt eius principiũ nõ dicit poſitionẽ, q̃ poſitionẽ dicit pũctũ, quæ eſt principiũ Geometriæ; tũc ſic arguo, pũctũ dicit poſitionẽ, & nõ eſt in loco, igitur falſũ eſt, ꝙ oĩa poſitionẽ habentia ſint in loco; Altero duorũ modorũ eſt reſpõdẽdum, primo quòd poſitio dupliciter accipitur, vno modo prò ſitu, quo ſi accipiatur modo, non eſt neceſſarium poſitionem habere locum, quo modo nõ accipit hic Ariſt. poſitionem; Alio modo accipitur poſitio, pró vt eſt in prædicamento, quo modo dicit ordinem partium in toto ad motum, & tunc verificatur Ariſtotelis dictum in præſenti contextu; primo modo loquutus eſt de poſitione ibi, at ſecundo modo hic accipit poſitionem; Vel dici poteſt, pũctũ ẽẽ in loco ꝑ accidẽs rõne .ſ. cõtinui, cuius eſt principium.

Controu. 3. ſuper eodem contex. 44.

An ſurſũ & deorſũ ſint primæ loci differẽtiæ

INquit Ariſt. ꝙ oĩa quæ ſe tãgũt, adinuicẽ ſũt actiua, & paſsiua, ꝙ ſic deducit, illa ſe contãgũt, quę habẽt poſitionẽ, at poſitio illis cõpetit, q̃bus & locus, & ea quę sũt in loco, sũt ſurſũ, vel deorſũ, quę ſunt primę loci differentię, ea verò quę ſunt ſurſum, vel deorſum, habent grauitatem, vel leuitatem, aut ambo aut alterum; & talia ſunt adinuicem actiua, & paſsiua; Dum dicit ſurſum, & deor-

& deorſum eſſe primas loci differẽtias, obijcitur, ſi ſic, quæ igitur erunt ſecundæ? cum primum refferatur ad ſecundum, non poteſt dici quòd ſint dextrum, vel ſiniſtrũ, nec ante, & retrò, quia hę ſunt differentiæ poſitionis, & non loci, quę non dicunt locum per ſe, ſed tantum modo per accidẽs; Inſuper obijcitur, corpora Cœleſtia ſe contangunt, & tamen non ſunt adinuicem actiua, & paſsiua, nec ſunt grauia, & leuia; Pro ſolutione primę obiectionis eſt notandum quód multi textus non legunt illam particulam (primæ) ſolus textus Ioannis eſt qui addit particulam illã (primæ,) iuxtà quos textus, inſtantia adducta nulla eſt, vt patet; At ſi legatur textus Ioannis Gram. eſt dicendum, ſurſum, & deorsũ eſſe primas, ac ſolas loci differentias, cũ verò obijcitur primum reffertur ad ſecundum, dicendum eſt, hoc eſſe verum, ſi accipiatur primum poſitiuè, at ſi accipiatur negatiuè, ſicuti hic accipitur, nequaquàm reffertur ad ſecũdum, & primum negatiuè aſſumptum, eſt illud quo nihil eſt prius, quo etiã modo Theologi exponũt verbum illud (primo genitus) ideſt ante quem nullus fuit; Tertiæ difficultati Ioannes tres dat ſolutiones; Primo dicit quòd corpora cœleſtia non ſe contangunt, ſed ſunt continua adinuicem, vel diſtantia à

Quæ reſponſio non placet, primò quia nos reddit perplexos; tum quia non eſt dicendũ corpora cœleſtia eſſe adinuicem continua, eo quia vltima illorum nõ ſunt vnum, quod patet ex eorum motibus; Nec eſt dicendum quód ſint adinuicem diſtãtia, quia ſi ſic, vel inter ea aliquid mediaret, vel nihil, non aliquid quia non apparet quid illud ſit; nec eſt dicendum ſecundum, quia ſi ſic, daretur vacuum; Ideó dat ſecundam ſolutionem, & dicit Ariſtotelem accipere corpora cœleſtia, vt vnum totum corpus, vt totum cœlum, quo modo non contangunt aliud, nec ſunt in loco; Quę reſponſio eſt etiam ſatis dubia; Et fortaſſe ob hoc dedit tertiam ſolutionẽ, quę cæteris eſt rectior, & dicit Ariſtotelem loqui tantum de ipſis ſublunaribus.

Controuer. j. Super Tex. 45.

An omni agẽti oppoſitũ ſit patiẽs

PONens Ariſt. differentiam inter agere, & mouere, dicit quòd ſi accipiatur agere, vt opponitur ipſi patti, eſt minus commune; dum dicit (vt opponitur ipſi patti) indicat quòd agere poſsit accipi vt non opponitur ipſi patti, quòd dictum habet difficultatem, quòmodo poſsit accipi agere quin opponatur ipſi patti, & quomodo ſit dare agens, quòd non ſit oppoſitum ipſi patienti, cum

cum ſemper Ariſt. diffiniat agens per ipſum patiens, & ècontra, vt 9. Met. & vbiq; ; Amplius ſi agere eſt minus commune, quàm ſit mouere, tunc Ariſt. eſt ſibi repugnans, cum in Lib. Prædic. poſuerit actionē, & paſsionem prædicamenta per ſe, hic autē ponat illa ſub motu ; Primæ ſatisfacio, & dico, quòd ſecundum Ariſt. omne agens eſt oppoſitum ipſi patienti, & ècontra, at ſecundum Theologos nequaquàm, quia datur agens quod non eſt oppoſitum patienti, vt in creatione, in qua datur agens abſq; patiente ; at ſtando in via Ariſtotelis, ita loquutus eſt, (vt opponitur patienti,) vt det intelligere ſe loqui de agente, & patiente per qualitates paſsibiles de tertia ſpetie qualitatis, & ſemet ipſum declarat Ariſt. in textu, dum dicit; (paſsio verò eſt ſecundum quòd alteratur, vt calidum, & album,) & ſic loquendo de hoc agere, ſic eſt minus cōmune q̃ ſit mouere: & hoc ad differentiam ipſius agere in communi ſumpto; Ad ſecundam dico, actionem, & paſsionem dupliciter conſiderari, vno modo per ſe, & ſic ſunt prædicamenta, alio modò accipiuntur, vt ſunt ſpeties motus, quomodo ſunt idē ꝙ alteratio de qbus ſic loqtur Ariſt. in p̄nti.

Controuer. 2. ſuper eodem contex. 45.

POſita differentia inter agere, & mouere, dicit

dicit Ariſtot. mouentia quædam tangere mobile, quædam non; Cuius oppoſitum ipſe habet 7. Phy. vbiq; vbi vult omne mouēs tangere ipſum mobile, cum mouens, & mobile dicantur eſſe ſimul; Dicendum eſt quòd ſi ſermo ſit de tactu tertio modo, accepto ab Ariſt. qui tactus eſt proprius, cum ſit eorum quę agūt, & patiūtur, ſic eſt verum dari mouens quod non tangit ipſum mobile, at ſi loquamur de primis duobus ſignificatis, ſeu modis tactus, ſic veritatem habet dictū eius in 7. Phy; At replicabit ille, ergo duo primi modi tactus non erunt proprij, cuius oppoſitum vult Ariſt; Dicēdum eſt ꝙ illi duo primi modi poſſunt dici proprij, & improprij, ſunt proprij, quatenus ſunt per ſe, & non per accidens, ſunt verò improprij; reſpectu tertij modi, qui eſt eorum quæ viciſsim agunt, & patiuntur, & hoc eſt ꝙ multi expoſitores dicunt, & præcipuè Ioan. Gra. ꝙ tactus dicitur tripliciter, communiter, propriè, & propriiſsimè, quod etiā dicit Ariſt; licet nō ita clarè, dū epilogat modos tactus, in illis verbis, (ſed determinatio ipſius tangere vniuerſaliter quidem; ideſt cōmuniter, eſt poſitionē habentiū, & hoc eſt primū ſignificatū, ſubdit, (Et huius quidē motiui, huius aūt mobilis, & eſt ſm, Addit (adinuicem autem

An omne mouens tangat ipſum mobile.

motiui, & mobilis in quibus eſt facere, & patti,) & hoc eſt tertium ſignificatũ, & propriiſsimum.

Controuer. 3. ſuper eod. tex. 45.

An illa quæ ſe tãgunt, habeant vltima ſimul, & ſint ad inuicem actiua, & paſsiua.

DEclarans tertium modum tactus, ſeũ quę ſint ea, quæ propriiſsimè dicuntur ſe tangere, dicit eſſe illa, quorum vltima ſunt ſimul, & ſunt inuicem actiua, & paſsiua; Quod dictum ſi concedatur, ruit diffinitio tactus data in 5. Lib. Phy. ab ipſo met Ariſt. Dicendum eſt Ariſtot. in 5. Lib. Phy. diffinire contactum in communi, vt etiam conuenit contactui mathematico, hic verõ tantum diffinit contactum proprium, & naturalem, qui eſt cum vnum agit in alterum.

Controuer. 4. ſuper eod. contex. 45.

An omne agens agat per cõtactũ.

CVm per Ariſt. ad tertium modum contactus, qui eſt propriiſsimus, requirãtur duæ conditiones, altera quòd vltima illorum ſint ſimul, altera quòd viciſsim agant, & patiantur, tunc colligitur, quòd in actione, & paſsione requiratur contactus, ſeũ quòd omne agens agat per contactum; Opponitur multipliciter, primus motor mouet cœlum, & tamen eum non tangit, eo quia primus motor eſt ſeparatus à materia; Similiter anima mouet corpus abſq; eius contactu, cum

ipſa

ipſa quoq; ſit in materialis; Inſuper, Sol calefacit hæc interiora,& ea nõ tangit; Magnes attrahit ferrum,& eum non tangit; Similiter, piſcis ille qui dicitur torpedo captus à piſcatore,cum eſt in rethe, ſtupefacit manũ piſcatoris,& eam non tangit; Amplius, pharmacum exhibitum ægrotanti educit humores ſine contactu, ergo non omne agens aget per contactum; Dicendum eſt Ariſt. loqui de agente, ſeù mouente proximo; & corporeo,& hæc fuit ſententia Ioannis Gram. hic; Ex quo intellectu,ceſſant primæ duæ inſtantiæ,quia licet primus motor ſit mouens proximum,non tamen eſt corporeus, pariter nec anima; Omitto nunc illorum ſolutionẽ, qui dicunt Ariſtot. loqui de actione reali, at illæ ſunt ſpirituales; Ad illam de ſole, dicendũ eſt cum Auerroe 2. Cœli.42. quòd ſol nõ eſt agens,ſed totum cœlum mediãte ſole,& alijs aſtris,actio tamen hæc attribuitur ſoli, qa ſol inter alia aſtra eſt lucidior,& calidior,qui calefacit aerem,aer verò hæc inferiora; De magnete,dico quòd magnes non eſt agens proximum; ſed eſt aer qualitate magnetis affectus; Similiter de torpedine quæ ſtupefacit manum mediante aere,& rethe, affectis qualitate ipſius torpedinis; De pharmaco, dicendum eſt ipſum contangere humores. quia

ſecundum

ſecundum Galenum oportet quòd diuidatur in partes, quæ deferãtur ad venas, & per cõſequens neceſſe eſt quòd tangat humores, quos vult attrahere; licet aliter dicat Monachus 3. Artis Med. qui vult quòd pharmacũ non ſit mouens proximum, ſed ſit virtus naturalis excitata à pharmaco, quæ expellit humores noxios.

Controuer. 1. ſuper contex. 46.

An idem poſsit eſſe agens, & patiẽs.

PRobat Ariſt. actionem, & paſsionem nõ fieri à ſimili, quia ſi ſic, idem eſſet agẽs, & patiens, ſeũ idem à ſe ipſo pateretur, eo quia non magis alterum altero eſſet actiuum, vel paſsiuum, quód pro abſurdo habet. Oppoſitum ab Ariſt. colligitur infrà cõtex. 53. vbi dicit, quòd omne agens communicãs in materia cum paſſo in agendo repatitur, ſi ſic ergo idem à ſeipſo patietur, ſeũ idem erit agens, & patiens, ſicq; id quod habet prò abſurdo, non erit abſurdum; Reſpondendum eſt cum Ioanne Gram. quòd licet omne agẽs communicans in materia cum paſſo in agendo repatiatur, quia tamẽ vnum eſt quod magis agit, & aliud quod magis patitur, ob hoc non ſequitur agens, & patiens eſſe omninò ſimilia, nec alia quæ deducebantur.

Controuer. 2. ſuper eod. contex. 46.

An vna quātitas agat in aliā, & an patiaẽ ab alia.

Confirmat actionem, & paſsionem non fieri à ſimili, ſed à diſimili, quia ignis non patitur ab igne, niſi vt vnus eſt magnus, alius verò paruus, ſicq; vt diſsimiles ſunt, Obijcitur, quia ſubſtantia non agit in aliam ſubſtantiam, nec ab alia patitur, ſimiliter nec quantitas in aliam agit quantitatem, nec ab alia patitur, qa in his non eſt contrarietas, & vbi non eſt contrarietas, nec ibi eſt actio, & paſsio; Soluitur, quòd magnum, & paruum ſimiliter multum, & paucum non ſunt quantitates, ſed ſunt ad aliquid, vt ipſe Ariſt. dixit in Prædicamento Quantitatis; Si autem admittatur eſſe quantitates, erit dicendum quantitatem determinatam quantitati determinatę non eſſe cõtrariam, ſed prædicta eſſe quantitates indeterminatas, & hæc pariter fuit ſolutio data ab Ariſt. in Prædicamento Subſtantię; Vel dicatur, quantitatem quãtitati per ſe non eſſe contrariam, ſed per accidens, ſcilicet ratione alicuius ſibi annexi.

Controuer. 1. ſuper contex. 51.

An cõtraria ſint ſub eodẽ genere.

Dicit Ariſt. in primis verbis iſtius contexr. 51. omnia contraria eſſe ſuper eodem genere; Oppoſitum ab ipſo habeatur in Poſt prædica.

Cap. de Oppoſitis,vbi ſcriptum reliquit,omnia contraria eſſe ſub eodem genere, vel ſub diuerſis generibus; Solutio eſt, duplex eſſe genus,aliud Logicum,ſeù prædicabile,aliud verò Phyſicum,ſeù naturale,ibi loquutus eſt de genere logico, hic verò de genere naturali,quod nil aliud eſt,quàm ſubiectum, ſeù materia, contraria enim habent idem genus, ideſt eamdem materiam, ſeù eiuſdem rationis.

Controuer. 2. ſuper eod. contex. 51.

An Ariſt. vtat, demonſtratione circulari in tex. 51.

PRobat Ariſt. agentia,& patientia eſſe ſimilia genere,diſsimilia verò ſpetie, & ſic arguit; Omnia contraria ſunt genere ſimilia,ſpetie diſsimilia,agentia, & patientia ſunt contraria,ergo agentia,& patientia ſunt genere ſimilia,ſpetie verò diſsimilia, maiorē propoſitionem ponit in textu, ſed eam non probat, minorem etiam ponit, quam demum probat tripliciter,& primò ſic, ſimilia genere,diſsimilia ſpetie ſunt contraria,agentia, & patientia ſunt huiuſmodi,igitur ſunt contraria; Sic arguendo,manifeſtè committit circulum, quem tamen ipſe damnauit Primo Poſt. Cap. 3. & quòd ita ſit patet,nā in maiori propoſitione primi ſyllogiſmi dicit,Omnia contraria ſunt ſimilia genere, diſsimilia ſpetie, demum in maiori propoſitione ſecundi ſyllogiſmi

logiſmi quo probat minorem propoſitionem primi, dicit, omnia ſimilia genere, diſsimilia ſpetie ſunt contraria, ergo committit circulũ; Ioannes Grama. quem inſequitur Auerroes ambo concedunt Ariſt. demonſtraſſe circulariter, cum dicitur, ipſum eam damnaſſe Primo Poſt. Cap. 3. Communis ſolutio eſt, dari demonſtrationem circularem in alio, & alio genere demonſtrationis, ita quòd vnus proceſſus ſit à cauſa in effectum; alius verò ab effectu in cauſam, addunt quòd ſi contingat dari demonſtrationem circularem in eodem genere demonſtrationis, hoc erit variato genere cauſæ, vt cũ ex efficienti cauſa demonſtratur finis, & èconträ, ex fine ipſum efficiens, vt 2. Poſt. demonſtrat ſanitatem per cauſam efficientem, per ambulationem poſt cœnam, & èconträ, demonſtrat ambulationem poſt cœnam, per ipſum finem, per ipſam ſanitatem; Addunt tertio, quòd ſi contingat demonſtrationem circularem eſſe in eodẽ genere demonſtrationis, & in eodẽ genere cauſæ, quòd hoc eſt reſpectu diuerſorũ indiuiduorum, ſicut etiam eſt videre ab Ariſtot. 2. Poſt. vbi demonſtrat ex pluuia præſenti vaporem futurum, & ex vapore præſenti pluuiam futuram; Quicquid tamen ſit, ſolutio breuis iſtius contradictionis colligitur ab

Auerroe ex vltimis verbis com. 50. vbi dixit, (Et demonſtratio Ariſtotelis cum ſit circularis, non facit fidem per ſe ſimpliciter, facit tamen aliquam fidem, ſicut dixit Alex.) Et ſic, ſoluẽdo contradictionem, dico Ariſt. negaſſe quamcũq; demonſtrationem circularem tan q̃ efficacem ad probandum, eam verò admittit, eaq; vtitur, vt eſt leuis probationis, non enim eſt efficax ad probandum; Et hęc prò nunc bræuiter ſint dicta, cum diffuſius hæc difficultas in Lib. Concil. Controu. ſuper Lib. Poſt. ſit examinata.

Controuer. 3. ſuper eod. tex. 51.

An cõtrarietas ſit cauſa actionis, ſimilitudo verò paſſionis.

DIcit Ariſt. actionem, & paſsionem fieri à ſimili ratione generis, ſeũ ſubiecti, à diſsimili verò ratione formæ; Auerroes exponens hoc dictum Ariſt. in Com. 50. in quo textu protulit Ariſt. ſententiam dictam, dicit quòd huius cauſa eſt, quia contrarietas eſt cauſa actionis, paſsionis verò cauſa eſt conuenientia; Vtroq; dicto & Ariſtot. & Auerrois videtur obſtare ipſe Ariſt. 3. Phy. contex. 18. vbi docet actionem, & paſsionem eſſe vnum, & eumdem motum re, differe ſola ratione, igitur habebunt vnam, & eamdem cauſam, quomodo igitur contrarietas, vel diſsimilitudo erit cauſa actionis, paſſionis verò ſimilitudo, ſeù conuenientia?

Confir-

Confirmatur, quia inter aliqua eſt actio, quæ non ſunt contraria, vt calidum agit in lutũ, ipſum condenſando, & tamen calidum ipſi luto non contrariatur, contrarietas ergo nõ erit actionis cauſa; Quod etiam magis confirmatur, quia nec vbicumq; eſt contrarietas ibi eſt actio, album enim & nigrum ſunt contraria, & tamen vnum non agit in aliud, nec patitur ab alio, teſte Ariſt. Primo Phy. cõtex. 42. Nec conuenientia, ſeũ ſimilitudo in genere, ſeũ in materia eſt cauſa paſsionis, quia ſi ſic omnia igitur in materia communicãtia inuicem eſſent paſsiua, quod eſſe falſum patet, cum hæc inferiora communicent in materia, non tamen omnia viciſsim sũt paſsibilia; Cum etiam Cœlum agat in hæc inferiora, & è contrà, hęc inferiora ab illo patiantur, in quibus tamen non eſt communitas ſubiecti, nec diuerſitas; Reſpondeo ad primum, q; licet actio, & paſsio ſint vnus, & idem motus re, pariter habeant eaſdem cauſas, non tamen eodem modo, ſed diuerſimodè, quia principalis cauſa actionis erit contrarietas, paſsionis verò conuenientia, ſicq; Ariſtot. & Auerroes ſunt intelligendi; Ad confirmationem primam, rectè reſpondet Ioan. Gram. quòd ſi contrarietas eſt principalis cauſa actionis, hoc eſſe verum de agente proximo, at modo

ſi calidum agit in luttum, ipſum condenſando, calidum non eſt agens proximum illius condenſationis, ſed eſt euaporatio humidi in ipſo lutto; quæ euaporatio prouenit à calido ſicq; calidum eſt agens remotum; Clarius tamen dicere poſſumus, propoſitionem dictam per ſe loquendo habere veritatem, at per accidens aliquando ſtat oppoſitum, & ſic eſt in propoſito; calidum indurat luttum per accidens, ſcilicet remouendo humidum; Ad aliam confirmationem, dixit Ioan. Gram. & rectè, propoſitionem Ariſtotelis eſſe intelligẽdam de contrarijs non quibuſcumq; , ſed de illis in quibus eſt vis actiua; huiuſmodi autẽ ſunt qualitates primæ; Soluit Ioan. Gram. adhuc aliam inſtantiam, dicitq; quòd omnia communicantia in materia, & quæ ſunt inuicem contraria, etiam inuicem patiuntur, licet autem omnia ſublunaria cõmunicent in materia, quia tamen omnia non ſunt inuicem cõtraria, ideò nec omnia ſunt inuicem paſsiua: Vltimæ inſtantiæ poſſumus duobus modis reſpondere, primò quòd Ariſt. non loquitur abſolutè de agentibus, & patientibus adinuicem, in quorum numero non eſt Cœlum, & hæc inferiora, cum hæc non agant, & patiãtur vicisſim; Vel quòd duplex eſt actio, & paſſio, vna eſt vniuoca, & eſt illa quæ habet du-

as dictas conditiones, quarum prima fuit, quòd agens, & patiens communicent in materia, ſecunda, quòd inter illa ſit cõtrarietas; Alia eſt æquiuoca, & eſt illa quę caret conditionibus dictis, & huiuſmodi eſt actio, & paſsio cœli, cum iſtis inferioribus:

Controuer. ſuper tex. 53.

VErificans Ariſt. poſitiones Antiquorum de agere, & pati, dicit ꝙ Antiqui reſpicientes ſubiectum paſsionum, dixere ſimile, à ſimili pati, quia agentia, & patientia ſunt eiuſdem ſubiecti, & materię; Antiqui verò reſpicientes paſsiones, dixere agẽtia, & patientia eſſe contraria; Dubitauit Ioannes Gram. quomodo ſit verũ quód contraria quæ agũt, & patiuntur ſint eiuſdem materiæ, quia calidum ignis agit in frigidum aquę, & tamen nõ conueniunt in materia; Reſpondet Ioannes Gra. dictum Ariſt. eſſe intelligendum de materia remota, ſic ꝙ calidum ignis, & frigidum aquę conueniunt in materia remota, minimè in proxima; Sed replicat Ioãnes, ſi agẽtia, & patientia conueniunt in materia remota, cur igitur ꝗlibet non patitur à quolibet, & ſimiliter cur quodlibet nõ agit in quolibet, cum omnium ſit vna communis materia, ſeu cum materia remota ſit omnium eadem; Reſpondet non ſat eſſe ad actionem, & paſ-

An contraria ꝗ agunt, & patiũtur inuicem ſint eiuſdem materię.

 ſionem

ſionem cauſandam conuenientia in materia remota, ſed vltrà concurrit etiam cõtrarietas, ſic què duæ erunt conditiones agentium, & patientium, prima quòd ſint eiuſdem materiæ. ſ. remotæ; ſecunda quòd ſint contraria, quocircà nõ omne in omni agit, nec omne ab omni patitur, cum deficiat hæc ſecunda conditio, nempè contrarietas, non omne enim omni contrariatur; Sed adhuc replicat Ioannes, quomodo igitur propoſitio illa verificabitur, omnia contraria ſunt inuicem tranſmutabilia; Ioannes vt hoc explicet, multum dilatat ſuum ſermonem, at tamdem dicit, omnia cõtraria inuicem eſſe tranſmutabilia non ſecundum numerum, ſed ſecundum ſpeciem, ſi illa contraria habuerint vim actiuam proximè; Sed adhuc replicat Ioannes, ſi album & nigrum non ſunt inuicem tranſmutabilia, nec ſunt apta ſe ſe expellere ab eodem ſubiecto, quomodo igitur dicuntur contraria; Reſpondet Ioannes, album, & nigrum eſſe contraria quo ad viſum, album enim diſgregat viſum quem viſum nigrum congregat; Aut eſt dicendum dicit Ioannes, quòd albũ & nigrum expellunt ſe ab eodem ſubiecto, mediante generatione, & corruptione ſubiecti proximi; Et hæc habentur à Ioanne in comm. 111.

Con-

Controuer ſup. contex. 57.

Recitat opinionẽ Democriti, & Leucippi de agere, & patti, & de omnibus alijs motibus, dicit què ambos compendioſè de omnibus motibus cauſam, & modũ determinaſſe, faciẽtes principium quod eſt ſecundum naturam, Obijcitur, quomodo principium ab ipſis poſitum ſit ſecundum naturam, cum ipſi poſſuerint vacuũ, & athomos, quos plenum vocabant, & vacuum non ſit principiũ naturale; Amplius quomodo opinió iſtorũ erit differens ab illa Empedoclis? cum Empedocles ponat actionem, & paſsionem fieri per porros, Democritus autem, & Leucippus per vacuũ, nulla videtur eſſe differentia inter hos, cum porrus ſit quid vacuũ & vacuum ſit porrus; Vtrique ſatisfacit Ioãnes Gra: & primę reſpondet, quòd principiũ ab illis poſitum eſt ſecundum naturam, non quo ad vacuum, ſed quo ad plenum, & motũ, fuerunt enim aliqui antiquorũ qui negarunt motum, & plenum, ſicut Parmenides, & Meliſſus, ad quorum differentiam hęc dicit; Secundæ ſatisfacit, quòd inter illos erit aliqualis differentia, quia ſi Empedocles ponit porros, non ponit eos vacuos, ſed alio corpore repletos, vt aere, vel alio; Democritus verò, & Leucippus ponentes vacuum,

An principium actionis & paſsionis poſitũ a Democ. & Leucip ſit naturale.

non

non ponunt ipſum alio corpore repletum.

Controuer. ſuper contex. 63.

An Ariſ. rectè ponat differentias in text. 63. inter Plat. & Democr.

Ponit tres differentias inter opinionem Platonis ex vna parte, ab illa Democriti, & Leucippi ex altera, & ponens ſecundam dicit, quòd principia ſecũdum Democritum erant terminata figuris infinitis, at ſecundum Platonem, finitis; Obiicitur, quia Democritus vnicuique principio ſuam attribuebat figuram, quomodo igitur erãt terminata figuris infinitis? Ponens tertiam differentiam dicit, quòd ſecundum Democritum duo ſunt modi quibus ponit generationem, vnus per contactum, alius per vacuum, at ipſi Platoni tantum eſt vnus modus. ſ. per contactũ; Oppoſitum huius ſuprà in contex. 60. dixit, dũ illi impoſuit generationẽ fieri ſolũ per vacuum; Primæ ſatisfacit Ioannes Gra: dicens de rigore ſermonis illa verba eſſe falſa, ſed ſenſum illorum eſſe hũc, illa principia figuris infinitis eſſe terminata ratione indiuiduorum, quę ſunt infinita, minimè ratione ipſorum met principiorum; Vel eſt dicendum dicit Io: illa principia figuris infinitis terminari, prò vt vnumquodq; illorum principiorum infinitis conueniebat corporibus, vt exempti gratia, figura triangularis infinitis conueniebat corporibus eiuſdem ſpeciei;

Dil-

Diſſuit etiam ſecundam Ioan. dicit q; Democritum aſſeruiſſe generationem tantummodo fieri per uacuum. ſ. ſubſtantialem, at reſpiciēs generationem accidentalem, dixit per contactum, ſic q; ſunt duo modi, & vnus; Vel erit dicendum addit Ioan: ſuperius omiſsiſſe tactum, quia ſub vacuo ipſum comprehendebat, cum tactus conſequatur ad vacuum.

Controuer. 1. ſuper contex. 64.

ARgumentatur Ariſt. contrà Democritū dicentem corpora indiuiſibilia ab ipſo poſita eſſe impaſsibilia, & oſtendit ipſum ſibi cōtradicere, cum primo dicat ipſa eſſe impaſsibilia, & ex ſuis verbis demum ſequatur eſſe paſsibilia; Erant impaſsibilia, quia carebant vacuitatibus, per quas fit paſſio, ex ſuis dictis colligitur ipſa eſſe paſsibilia, quia ſecundum eum corpora indiuiſibilia quæ erant ſpherica, erant calida, & quāto maiora erant, tāto magis erant calida, quibus ſtantibus contrà eum ſic inſtat; Si in corporibus ſphericis datur calidum, ergo & frigidum, at calidum patitur à frigido, igitur corpora illa indiuiſibilia inuicem patientur; Quæ Ariſt. ratio videtur inniti in illo fundamento, quòd ſi in natura eſt vnum contrariū, ergo & aliud; Cui obijcitur ſic, in natura datur ignis calidus, igitur dabitur ignis frigidus,

An ſi vnum cōtrarorū eſt in rerum natura, & alterū ſit.

dus, quod eſt falſum, igitur & illud fundamentum erit falſum; Communis ſolutio eſt, fundamentum illud habere veritatem in natura vniuerſali, non autem in natura particulari; Cui ſolutioni obſtat Ariſt. in Poſtpręd. Cap. de Oppoſitis, vbi dicit, quòd ſi vnũ contrariorum eſt in rerum natura, non eſt neceſſarium aliud eſſe, & dat Ariſt. hoc exemplum, ſi omnia corpora eſſent ſana, ægritudo non eſſet, ſicq; videtur Ariſt. ſibi hic, & ibi contradicere, & contradictio maximè viget, ſtante regula, ſeu fundamento allegato, & ab ipſo Ariſtot. deſumpto. 2. Cœli contex. 18. Quæ contradictio ſoluitur ſecundum communem omnium ſententiam, qui dicunt, regulam Ariſt. naturaliter loquendo eſſe verã, at ſecundum imaginationem non verificari, & ſic Ariſtot. ibi in Poſtpræd. loquutus eſt, quod patet eſſe verum, ex modo loquendi ipſius Ariſt. ibi qui dicit: (ſi omnia eſſent ſana, ægritudo non eſſet,) qui modus loquendi non eſt verus, niſi ſecũdum imaginationem.

Controuer. 2. ſuper eod. contex. 64.

An ad caliditatem ſequatur duritics & grauitas ſicut dicit Ariſtot.

IN hoc eodem contex. videtur velle Ariſt. ad caliditatem ſequi duritiem, & grauitatem, Quod dictum non eſt verum, cum ad caliditatem ſequatur leuitas, ad maiorem q̃ caliditatem maior quoq; leuitas, ad maximã verò,

verò, maxima eſt leuitas, nõ igitur durities, & grauitas; Niſi eſſet, q̃ Ariſt. eſt intelligẽdus ſecundum ſententiam Democriti, & aliorũm ipſum inſequentium, qui dicebãt, quòd corpus quanto magis eſt ſphericum, tanto calidius eſſe, & magis denſum.

Controuer. 1. ſuper contex. 82.

An rectè Ariſt. ponat ſuam intentionẽ in cap. de Miſtione.

PRoponit quinque determinanda de Miſtione, vt patet ex teſtu; Reprehenditur Ariſt. cum ipſe non ſeruet ordinẽ in proponendo illa quæſita nam prius debet quærere an Miſtio ſit, antequam quærat quid ſit, & alia; cum quæſitum ſi eſt, præcedat omnia alia quæſita, vt ipſe docuit in principio 2. lib. Poſt. Inſuper quęſitum hoc, an miſtio ſit, eſt ſuperfluum, ratio eſt, quia miſtionem eſſe patet ſenſu; Inſuper tertium quæſitum etiam eſt ſuperfluum, cum contineatur ſub primo, & ſecundo; cum enim quis ſciet, quid ſit miſtio, & quid ſit miſcibile, ſciet etiam quibus in ſit entibus; Rectè hæc diluuntur à Ioanne Gra: qui dicit Ariſt. præponere illa duo prima quæſita, quid ſit miſtio, & quid miſsibile quęſito an ſit, quia de his eſt principalior intentio, at dum de illis exequitur, exorditur ab vltimo propoſitorum. ſ. an ſit miſtio; ſic qi id quod eſt primum in intentione, eſt vltimũ in executione; Addit Ioannes Gra: Ariſtot.

pro-

propoſuiſſe an miſtio ſit, non quòd dubium ſit ipſam eſſe, ſed quia vult ſoluere quaſdam rationes, quæ probant eam non eſſe, ſicq; indirectè probat ipſam eſſe; Tertiæ quoquè ſatisfacit, dicens Ariſt. propoſuiſſe illud quæſitum, quibus inſit entibus, ad abundatiorem doctrinam.

Controu. 2. ſuper eodem contex. 82.

An Ariſt. ratio qua pbat miſtioné nó eſſe, ſit valida.

INcipit examinare quęſitum illud, an Miſtio ſit, eum ſit primum in executione, & probat miſtionem non eſſe, hac ratione, cũ ad miſtionem ſaltem duo concurrãt miſcibilia, vel ambo ſoluantur in miſtione, vel ambo corrumpuntur, vel alterum ſoluatur, & alterum deperditur, at nullum iſtorũ eſſe poteſt, igitur miſtio eſt impoſsibilis, probat antecedentis primam partem non poſſe dari, quia ſi ſic, miſsibilia æqualiter tunc ſe haberent poſt, ſicut & prius, at prius non erant miſta, igitur nec poſt; Ratio hæc nullius videtur eſſe roboris, cũ ſenſu pateat quòd ſi miſceatur farina tritici, & ordei inſimul, ambo miſcibilia ſaluari, & tamen non ſe habent poſt, ſicut prius, quia prius non erant miſta, poſt autem ſunt miſta; Notandum eſt miſtionem tripliciter accipi, vnomdo prò vt eſt vnio ſeù iuxtà poſitio miſcibilium nulla concurrente alteratione, quo modo eſt accepta in argu-

mento

merito contra Ariſt. formato, ſecundo modo accipitur miſtio, vt eſt iuxtà poſitio miſcibilium concurrente alteratione aliqua, ex qua demum nulla ſequitur forma, quorum nullo modorum accipitur hic miſtio ab Ariſtot. ſed loquitur de miſtione hoc tertio modo accepta, vt eſt miſcibilium vnio mediante alteratione, ex qua demum ſequitur noua forma, & complexio, ſeu temperies, & hæc eſt vera miſtio, ſicquè eius argumentum habet vim, & robur, inſtantia autem adducta valeret, ſi acciperet miſtionem primo modo.

Controuer. 1. ſuper contex. 89.

Ponit conditiones miſcibilium inter quas hæc eſt prima, quòd miſcibilia æquentur potentijs; Cui obſtat Ariſt. primo Cœli tex. 7. vbi ſcriptum reliquit, miſtum moueri ſecundum prædominans, quod dictum erit falſum, quia ſi miſcibilia potētijs æquantur, nullum igitur elementum in miſto dominabitur; Amplius, ſi miſcibilia potentijs inter ſe ſunt æqualia, inter illa igitur nulla erit actio, cum ab æquali non proueniat actio; Amplius, ſequetur miſtionem æqualis virtutis in quolibet eſſe, vt in planta, & in homine, & in alijs miſtis conſimiliter, quod eſt falſum. Soluuntur omnia ex recto Ariſtot. verborum ſenſu, qui eſt, quòd miſcibilia poten-

An miſcibilia potētijs æquenť.

potentijs debẽt ęquari,non omninò, ſed aliquo modo, ita vt ſit dominium cũ ſubdominio, & huius ratio eſt, quia miſcibilia inter ſe debent inuicem agere,& pati,idcircò cum aliquo modo æquentur potentijs, ſtat quòd vnũ alteri dominetur, vt habetur primo Cœli, ſtat etiam quòd inter ipſa ſit mutua actio, & paſsio,quæ tolerentur,ſi omnino,& penitus potentijs æquarentur; Nec ſequitur in quolibet miſtionem æqualis eſſe virtutis, cũ ponamus dominium cum ſubdominio, quod variatur ſecundum variationem formarum quę miſtis inſunt, quæ miſta de nouo generantur.

An ſecũda miſsibiliũ conditio rectè ab Ariſtot. ſit poſita

Controuer. 2. ſuper eodem contex. 69.

POnens ſecundam miſsibilium conditionem; dicit quòd debent diuidi ad minimas partes,quia parua paruis iuxtà poſita, magis citius què admiſcẽtur, econtrà magnum à magno tardius hoc operatur; Oppoſitum huius videtur colligi ex regula ab ipſo Ariſt. tradita. 7. Phy. quæ fuit, qualis eſt proportio partis ad partem talis eſt totius ad totum, ſi ergo parua paruis iuxtàponantur, magis admiſcẽtur, igitur & magnum magno iuxtà poſitum hoc idem aget; Quod etiam cõfirmatur ex alia regula, omnis virtus vnita eſt fortior ſeipſa diſperſa,ergo facilius to-

tum in totum aget, &ècontrà totum à toto facilius patietur, quàm ſi diuiſum ſit in partes; Dicendum erit cum Ioanne Gra. quód aliud eſt loqui de actione, & paſsione in ordine ad corruptionem, & aliud eſt loqui de actione, & paſsione in ordine ad miſtionē, regulæ adductæ habent veritatem loquēdo de actione, & paſsione primo modo dicto, ſed non ſecundo modo, & ideo patet experientia quód ignis quanto magis eſt vnitus, tanto eſt calidior, tantoq; magis comburrit lignum, qui ſi ſit paruus nō ita citó comburet lignum paruius, at ſi ſint duo cōtraria ad paruas partes redacta facilius agent, & patientur ad inuicem ſe commiſcendo, quare loquendo de actione, & paſsione in ordine ad miſtionem duo contraria ſi ad minimas partes fuerint redacta, facilius agent, & patientur ſe commiſcendo adinuicem, non aūt ſe corrumpendo; Vel dicas, quód regulę quibus innituntur argumenta contra ea quę hic habet Ariſt. habent veritatem per ſe, at per accidens aliquándo ſtat oppoſitum, ſicq; eſt in præſenti, cum melius, ac facilius pars parti applicetur, ac commiſceatur, quàm totum cum toto.

CONCILIATIONES
CONTROVERSIARVM
SVPER SECVND. LIB. DE GEN.
Et Corrupt. Ariſt.
Io. Ludouici Chartarij.

Controuer. 1. ſuper contex. 8.

An graue, & leue ſint pncipia actionis.

I*Eſus illuminatio mea ſit.*

Enumeratis qualitatibus tangibibus, excludit graue, & leue, eo quia non ſunt principia actionis, & paſsionis in corporibus; Oppoſitum ab ipſo Ariſt. primo Cœli Tex. 17. colligitur, vbi dicit, ea eſſe principia motus ſecundum locũ, qui motus eſt actio quædam, vt patet; Idem etiam ab ipſo colligitur 4. Cœli, cum igitur graue, & leue ſint principia motus localis, qui eſt actio quædam, quomodo dicit hic, ea non eſſe principia actionis? Reſpondetur, actionem, & paſsionem dupliciter accipi, vno modo communiter, prò qualibet operatione, modo quo motus ſecundum locum eſt actio, cum per grauitatem grauia ferãtur deorſum, per leuitatem verò leuia ſurſum, ſicq; grauitas, & leuitas ſunt principia actionis; Alio modo accipitur actio, prò operatione quæ fit per paſsiones, & paſsibi-

les

les qualitates, quæ actio dicitur alteratio, de qua hic loquitur, quia hic tantum conſiderat illam actionem qua elementa viciſsim pmutantur, & per quam mistum constituitur, quo modo motus ſecundum locum non eſt actio, pariter nec graue, & leue ſunt principia actiua, vt patet, ſi enim graue, & leue iuxtà ponantur, vnum in aliud non operatur.

Controuer. 2. ſuper contex. 8.

DIcit Ariſt. quatuor qualitatum primarum duas eſſe actiuas, duas paſsiuas, actiuas vocat calidum, & frigidum, paſsiuas humidum, & ſiccum; Oppoſitum ab ipſo met Ariſtot. colligitur, primo huius Cap. de agere, & patti, colligitur .n. ibi omnes eſſe actiuas, & omnes paſsiuas, quia omne agens in agendo repatitur, quare ſi calidũ agit, etiam repatitur, ſimiliter ſi frigidũ agit, etiam repatitur, omnes igitur erunt actiuę, & omnes paſsiuæ; Quod etiam confirmatur, nam ſi calidum conferatur ipſi humido, patitur ab ipſo humido, ignis enim ab humido extinguitur, quare humidum reſpectu calidi erit qualitas actiua; Hanc difficultatem vidit Galenus Primo Lib. de Facultatibus Naturalibus Cap. 3. & dixit, quód ſi ſententia Ariſt. abſolutè accipiatur, ita quòd vellit abſolutè duas eſſe actiuas, & duas paſsiuas,

An qualitatum primarũ duæ ſint actiuę, & paſsiuæ.

Reſpõſio Galeni.

eſt falſa, immò ſibi Ariſt. contradiceret, dicit Galenus, quia Ariſt. ſepè dixit, calidum patti, & humidum agere; Si autem velimus dicit Galenus conſentanea dicere Ariſtoteli, & Hippocrati, erit dicendum, primam Ariſt. ſententiam eſſe veram quo ad ſtirpalia, & quo ad animalia, non autem abſolutè, quia ſi cōſiderentur operationes quæ ſunt in ſtirpalibus, & animalibus, & inuicem conferantur horum viuentiū operationes, & productiones, patet quòd calidum, & frigidum agunt, & informant, humidum verò, & ſiccum patiuntur, & informãtur, quòd ſi abſolutè hoc

Confut. hoc dicatur, non eſt verum; Quæ reſponſio in doctrina Ariſt. non eſt admittenda, & ratio eſt, quia quando dicitur, quòd qualitates agunt, & patiuntur, id eis conuenit ſecundū naturam, nam quòd alicui conuenit naturaliter, eodem modo ſe habet in omnibus, ad differentiam eorum, quæ ab imaginatione pendent, quæ poſſunt variari, & quę naturaliter inſunt viuentibus, ſemper eodem modo ſe habent, & ſimilia ſunt; Nec eſt dicendū id eſſe verum de quibuſdam, & non de omnibus, cum pariter & Ariſt. in 4. Meteo. hoc idē dicat, & abſolutè loquatur de omni productione miſtorum, & non de ſola viuentium productione, con ſimiliter & in præſenti abſolutè

ſolutè loquitur de quibuſcumq; miſtis, abſolutè q; dicit, qualitatum duas eſſe actiuas, & duas paſsiuas, nec ſibi contradicit, vt aſſerit Galenus, quia ſemper abſolutè loquitur Ariſt. vbiq;, dum dicit, quòd qualitatũ primatum duæ ſunt actiuæ, & duæ paſsiuæ; Io: Gra. hic, & Auerroes 4. Meteo. Com. primò dixere, iſtas qualitates dupliciter poſſe conſiderari, primo modo, vt adinuicem conferruntur, ſecundo in ordine ad miſtum; Dicit Auer. ꝙ ſi conſiderentur in ordine ad miſtum, vera eſt Ariſt. ſententia, nempè duas eſſe actiuas, & duas paſsiuas reſpectu generationis miſti, quæ ſi adinuicem conferrãtur, ita eſt ꝙ mutuò agũt, & patiũtur; Quę reſpõſio in parte eſt vera, at abſolutè non eſt admittenda, vera quidem eſt in parte, videlicet in productione miſti, at dicere sẽper hoc ſic eſſe, & non aliter, hoc non eſt dicendum, & ratio eſt, quia ſic dicentes contradicunt Ariſtoteli, cum Ariſt. 4. Meteo. tex. primo dicat, quòd deſcriptiones datę de his qualitatibus omnes conueniunt, ſiue ſimul accipiãtur elementa, ſiuè ſeorſim, & verba Ariſt. ibi sũt hęc; (Sicca aũt, & humida, terminata, & alias dictas paſsiones patientia, & ipſa sñ ſe, & quęcũq; cõmunia ex ambobus corpora cõſtãt,) quare ſi sñ ſe ẽe cõſiderẽtur, verificãtur Solutio Io. Gra. ac Auer. Confut.

deſcriptiones datę de eis; igitur Ariſtot. ſic etiam in tex. iſto 8. erit intelligendus, dum dicit, quòd qualitatum duæ ſunt actiuæ, & duæ paſsiuæ, ſiuè comparentur adinuicem, ſiue in ordine ad miſtum; Aliter igitur eſt reſpondendum huic difficultati inquirenti, an qualitatum duæ ſint actiuæ, & duæ paſſiuę, an verò omnes ſint actiuæ, & oẽs paſsiuæ; & erit dicendum primum dictum eſſe verum, ſi in ordine ad miſtum conſideretur, quia in generatione miſti duo pręcipuè cõcurrunt, neceſſe enim eſt quòd corpus formetur, & terminetur, quod fit mediante humido, & ſicco, concurrit etiã informatio quæ fit ratione calidi, & frigidi; quare calidum, & frigidum operantur, humidum verò, & ſic cum patiuntur, cum recipiant terminationẽ, & formationem; Quæ ſententia abſolutè loquendo etiam erit vera in mutua ipſorũ permutatione, hoc pacto, comparando vnum cõtrarium alteri contrario, ſemper erit dicendũ vnum eſſe actiuum à prædominio, & aliud paſsiuum à prędominio, nam in mutua elementorum permutatione, quòd maximè operatur, eſt calidum, & frigidum, quod minus operatur, eſt humidum, & ſiccum; Ad inſtãtiam, qua dicebatur, omnes eſſe actiuas, & paſsiuas, quia omne agens in agendo repatitur,

Propria ſolutio.

tur, hoc eſt concedendum, ſed cum denominatio ſemper fiat ab eo quod prędominatur, tunc illæ qualitates dicuntur actiuæ, hæ verò dicentur paſsiuæ principaliter, licet qualitates paſsiuæ poſsint agere, & actiuæ poſſint patti, at principaliter primis duabus cõuenit actio, alijs verò duabus, videlicet humido, & ſicco attribuetur paſsio.

Controuer. 3. ſuper eodem contex. 8.

An calidũ ſit illud ꝙ cõgregat homogenea, Frigidũ verò ſit illud quod vnit homogẽea, & etherogenea.

VOlens Ariſt. probare calidum, & frigidum eſſe qualitates actiuas, humidum verò, & ſiccum eſſe qualitates paſsiuas, accipit earum diffinitiones, ſeù deſcriptiones; & dicit, Calidũ eſſe illud quod congregat homogenea, frigidum verò quod coniungit, ac congregat & homogenea, ac etherogenea, & quæ non eiuſdẽ ſunt tribus; Quæ deſcriptiones non videntur admittendæ, & primò, quia Ariſt. in iſtis deſcriptionibus accipit ea quæ ſunt per accidens; Secundo, quia omittit ea quę per ſe qualitatibus competunt; Tertio, quia accipit falſa; Omnia declaro, deſcribit illas qualitates per ea, quæ ipſis per accidens competunt, omittendo ea quæ per ſe, quia calido per ſe conuenit calefacere, frigido frigefacere, quas cõditiones Ariſt. non accipit, ſed aſſumit eas, quæ per accidens illis competunt, ſicuti eſt

congregare, & diſgregare, calor enim calefa-
ciendo dicitur congregare, vel diſgregare,
quas conditiones accipit Ariſtot. dum illas
qualitates deſcribit; igitur accipit ea, quę per
accidens, ſeu quæ ratione alterius ipſis com-
petunt qualitatibus; Accipit etiam falſa, nã
dicit quòd calor cõgregat ea, quę ſunt eiuſ-
dem naturę, quod eſt falſum, cum etiam con-
greget ea, quæ ſunt alterius naturę, miſtum
enim per Ariſt. 4. Meteo. conficitur virtute
caloris, ac virtute ejus in ipſo congregan-
tur quattuor ellementa, quæ ſunt inter ſe
maximè diuerſa; igitur calor congregat
ea, quæ ſunt diuerſæ naturæ; Quod etiam
experientia confirmatur, pharmacopolæ
enim per calorem congregant corpora di-
uerſæ naturæ, nam conficiunt pharmaca,
quæ conſtant ex corporibus naturæ diuer-
ſæ; Quod adhuc etiam confirmatur argu-
mento accepto à Sole, qui per ſuos radios
congregat paleas cum terra, deſiccat enim
lutum, in quo paleæ reperiuntur; Eſt etiam
falſum, quod per frigidum indifferenter
congregentur tàm ea quæ sunt eiuſdem na-
turæ, quàm diuerſæ, cum per frigidum tan-
tummodo ſecernantur ea, quæ ſunt diuerſæ
naturæ, ſicut patet in emiſsione ſanguinis.
quæ fit per ſectionem venæ, in quo ſangui-
ne in-

ne intrà venas exiſtente reperiuntur omnes quatuor humores, reperitur enim pituita, flaua, & atra bilis, ac melancholia, at dum extrà venas eſt, ſecernuntur omnes quatuor humores per frigiditatem, ad partem namquè ſupremam ſanguinis flaua bilis tendit, ad internam verò atra bilis, ſicq; mediante frigido ſecernuntur ea, quæ ſunt diuerſæ naturæ; Quod adhuc confirmatur, & alia experientia, tempore enim hyberno per compreſsionem cerebri factam à frigido, lacrymæ emittuntur, ſicq; vnum ab alio ſecernitur; Prò faciliori omnium iſtarum difficultatum ſolutione, eſt primo attendendum, omnes iſtas deſcriptiones eſſe veras, conſiderando ipſas qualitates præſertim in ordine ad conſtitutionem miſti, ſicut fuit dictum in ſolutione Controuerſiæ prædictæ ex ſententia Auerrois, ac Ioannis Grammat. conſequtiuè verò, ſeù modo aliquo etiam habent veritatem de elementis ſeorſim acceptis; Secundo eſt attendendum, quòd ea quæ Ariſtoteles hic ipſis tribuit qualitatibus, ſunt per ſe conſideranda, cum diffinitiones, ſeù deſcriptiones, ac regulæ ab Ariſtotele datæ ſemper ſint per ſe intelligendæ, quia ſi per accidens intelligantur, poſſunt quodammodo redi falſæ

Primum fundamẽtum pro ſolut. argum.

Secũdũ.

Tertiũ. di falſæ; Tertio eſt accipiendum, quòd dum loquimur de operationibus qualitatum, vel conſideramus operationes earum, quatenus illę qualitates dicũtur eſſe inſtrumenta naturæ communis, ſeù vniuerſalis, ac vt ordinantur ad miſti productionem, quæ vt vario mndo conſiderantur, vario etiã modo iſta illis conueniunt, do exemplum, caliditas primo poteſt cõſiderari vt forma quædam, quę habet proprias operationes, quarũ prima, ac pręcipua eſt, ſe ipſam conſeruare; omni enim formę conuenit ſeipſam prò ſui facultate conſeruare, ſecunda eiuſdem operatio eſt, ſeipſam multiplicare, caliditas nãq; caliditatem intendit, & auget, cum ſibi ſeipſam conſeruare conueniat; Tertia operatio quæ ſibi adhuc conuenit, eſt contrarium deſtruere, & hæc ſunt operationes quę conueniunt caliditati; conſiderando eam vt agens particulare quod habet plures operationes, ſi verò conſideretur caliditas quatenus eſt inſtrumẽtũ naturæ comunis, ſeù vniuerſalis cõcurrentis ad miſti productionẽ, adhuc habet varias operationes, primò enim intẽdit generationem miſti, & ideò Ariſt. 4. Meteo. aſsignans diffinitionem generationis miſti, dicit eam fieri à caliditate: Secundò caliditas intendit congregare ſimilia, & ea quę sũt

eiuſ-

eiuſdem naturæ,ad hoc enim vt generet, neceſſe eſt quód congreget ea quæ ſunt eiuſdẽ naturę, dum verò congregat quæ ſunt eiuſdem naturæ, quodãmodo,& per accidẽs ſecernit,& ſeparat ea, quæ ſunt diuerſæ naturæ, ſicq; habentur operationes pręcipuè caliditatis,quatenus eſt forma quædam, & quatenus eſt inſtrumẽtũ naturæ vniuerſalis,quæ intendit miſti productionem; & ſicut dicimus de caliditate, ſic eſt dicendum de alijs qualitatibus; Ex quibus prænotatis diluũtur inſtantiæ adductæ; Quando dicebatur Ariſt. omittere ea,quę per ſe conueniũt qualitatibus; Reſpondetur quòd Ariſt. dimittit aliqua tamquàm per ſe nota, & accipit ea quæ diriguntur ad vlteriorẽ finem,vt quód caliditas calefaciat,eſt per ſe notum,at Ariſt. conſiderans vltimum finem illius, qui quãto eſt magis vltimus, tanto eſt potior, dicit Ariſt. caliditatem congregare homogenea; Vlterius etiam ſic dicit, quia Ariſt. intendit declarare quòd qualitatum duæ ſunt actiuę, & duæ paſsiuæ,quòd præſtare nequit,dicẽdo caliditatem calefacere,& ſic de alijs,quia ſic omnes eſſent actiuæ, ideo vt oſtẽdat duas illarum eſſe actiuas,& duas paſsiuas,accipit illarum finem vltimum; Cum dicebatur, non ſolum ipſum omittere ea quę per ſe illis

competunt

competunt, ſed etiam accipere ea quæ per ac cidens, quod non eſt conueniens in deſcriptionibus; Reſpondetur eſſe falſum Ariſtotelem accipere ea quæ per accidens qualitatibus conueniunt, immò talia quæ accipit, illis per ſe competunt quatenus diriguntur ad vltimum finem, qua de cauſa qualitates illæ ſunt quatuor, vt per duas illarum corpora quoddámodo recipiant formationem, ſicq; talia quæ Ariſt. illis tribuit per ſe illis conueniunt, & non per accidens, qualitates enim ad talem ordinantur finem, qui vltimus finis ad quem prior dirigitur eſt magis à natura intentus, licet ſit remotus, & magis vltimus; Cum verò dicitur, quòd calor per ſe calefacit, per accidens verò congregat; Reſpondetur, quòd calor immediatè calefacit; quòd verò per accidens faciat alia, hoc non eſt verum, ſed ſecundarió dicimus alia facere, quia ea producit vt ad finem remotum, benè per accidens eſt quòd caliditas ſegreget ea, quæ ſunt diuerſę naturæ, at quò d cōgreget quæ ſunt homogenea, & eiuſdem naturæ, hoc eſt per ſe; Cum vltimò dicebatur, Ariſtot. accipere falſa, ſicut fuit probatum; Negatur ipſum falſa accipere, eo quia principalis operatio ac per ſe ipſius calidi eſt cōgregare homogenea, ſi verò etiam congre-

get ea quæ ſunt alterius naturæ, hoc eſt per accidens, & ideó ſi pharmacopolæ per concoctionem melis quæ fit per calorem, congregant amigdalas cum ipſo mele, & alia huiuſmodi, hoc eſt per accidens, quatenus per calorem mel fit tenax, deindè per eius tenacitatem aliena corpora detinentur; Ad difficultates de frigiditate, quibus probabatur quòd per frigiditatem ſepè ſeparantur ea quæ per calorem erant coniuncta, vt de ſanguine è venis educto, & de ſecretione lacrymarum quæ tempore hyberno fit à frigore; Reſpondetur, quód quando Ariſt. dicit frigiditatem congregare tàm ea quæ ſunt eiuſdem naturæ; quàm ea quæ diuerſæ, hoc eſſe verum loquendo de principali operatione frigiditatis, ſicut enim principalis operatio caliditatis conſideratur ab Ariſtot. ſic etiam conſiderat Ariſtot. principalem operationem frigiditatis, quæ eſt congregatio, ſi verò aliquando ſit ſecretio à frigiditate, hoc eſt per accidens, hoc modo, dum frigiditas congregat, per illam congregationem cauſatur quędam corporis expulſio tenuis, vt ſpiritus, dū.n. frigiditas cōdenſat, cōprimit partes craſsiores, ex qua cōpſsione expellitur corpus tenue, hinc ē ꝙ cauſātur lacrymę tēpore hyberno, quę fiūt ex cōpreſsione cere-

cerebri facta à frigiditate ex qua cerebrum congelatur, ac comprimitur, ex qua cõpreſſione ſequuntur lacrymæ, & ſic per accidẽs; Similiter eſt dicendum de ſanguine, quòd dum eſt in venis, ſi ibi ſunt admiſti varij humores, hæc non eſt principalis operatio ipſius caliditatis, quę eſt quãdo partes ſanguinis conuertuntur in carnem, neruos, & alias partes, at illa eſt via ad operationem primariam, quando verò ſanguis educitur, tũc calor non poteſt amplius illas partes ſanguinis ſimul congregare prò eius vlteriori concoctione, & conuerſione in carnem, neruos, & in alias partes, ideò à frigiditate eius partes denſiores condenſantur, per quam condenſationem partes ſanguinis quædã aſcendũt, quædam verò deſcendũt, ſicq; ſi id quod dicebatur in argumento fit à frigiditate, hoc ẽ per accidens, quia illa frigiditas eſt via ad corruptionem, & illa ſeparatio quæ cernitur in ſanguine educto nõ propriè fit à frigiditate, ſed potius prouenit à maiori, vel minori partium ſanguinis grauitate, & leuitate.

Controuer. 4. ſup. contex. 8.

An qualitatũ p̃marum duæ ſtetit loco, duæ

EX diffinitionibus qualitatũ primarum accepit Ariſt. duas eſſe actiuas, duas verò paſsiuas, ex his colligitur quòd duæ illarum concurrunt loco materiæ, duæ

aliæ

aliæ loco formę; Cuius oppoſitum ellicitur ab Ariſt. 2.Lib. de Partibus Animal. Cap. I. vbi dicit, quatuor qualitates primas eſſe materiam corporum, dicit enim ibi, (quòd prima corporum compoſitio eſt ex elementis, ſeù potius ex virtutibus elementorum,) addit, (Humiditas enim & ſiccitas, caliditas, & frigiditas materia ſunt corporũ compoſitorum ;) Hic autem & in principio 4 Lib.Meteo: dicit, quòd primarum qualitatum duæ ſunt actiuæ, duæ veró paſsiuę, ſicq; duæ ſunt formales, duæ aliæ ſunt materiales; Augetur contradictio, qa in principio textus præſentis, ſingulas qualitates vocauit differentias corporum, quatenus corpora ipſa ſunt ſenſibilia, at omnes differentiæ ſunt formę, igitur illarum duæ non erunt materiales; Sed hæc omnia Ariſt. dicta habent veritatem vario modo conſiderata, nam omnes primæ qualitates dicuntur materia, quatenus nempè miſtum dicitur conſtitui ex quatuor elemẽtis, vt ex materia, & quia elementa ſpecificãtur per qualitates primas, ideò qualitates primæ dicuntur materia miſtorum; Quæ qualitates ſi demum conſiderentur quatenus in miſti conſtitutione duæ concurrũt paſsiuè, & receptiuè, duę verò actiuè, & informando, ac mouendo, ſic duæ illarum dicuntur materiales, &

materiæ duæ aliæ loco formæ.

les, &

les,& paſsiuæ,duæ aliæ actiuæ, & formales; Si demum hę qualitates primę conſiderētur, quatenus ſunt differentię corporum tangibilium, ſic omnes dicuntur formæ, differentiæ enim ad formam pertinent.

Controuer. ſuper contex. 10.

An tenue ad humidū reducat.

INquit Ariſt. tenue, ſeū ſubtile (vt quidā textus legunt) reduci ad humidum; Sed quomodo hoc eſt verum? cum ignis ſit valdè tenuis,qui tamen non eſt humidus,immò valdè ſiccus; Propter hoc argumentum Pythagorici dixere, ignem propriè non eſſe tenuem,quia tenue denotat húmidum, ſed voluere ignem dici acutum, aerem verò tenuem,aquam obtuſſam,terram craſſam;at ſecundum Ariſt. ignis eſt dicendus tenuis,cuius ratio eſt,quia tenue eſt quod habet partes exiguas,& ignis eſt huiuſmodi, cum ſit ſubtiliſsimus, quare illi conuenit deſcriptio tenuis, igitur ignis erit vocandus tenuis, cum verò infertur,igitur ignis erit humidus,cum tenue redigatur ad humidum, Reſpondetur nequaquàm eſſe inferendum ignem propriè eſſe humidum, ſed benè eſſe verum illi conuenire paſsionem, quæ fit ab humido, ſicut enim per humidum faciliter aliquid recipit alienas impreſsiones, & figuras, ſic ignis cum

ſic

ſit tenuis facilè recipit alienas figuras, quo circà ignis non erit propriè humidus, ſed tenuis, & ratione illius habet, quod alicui tribuitur ratione humiditatis; Si autem quis dicat, ergo ſiccitati ignis non conuenit propria deſcriptio data ab Ariſt. Eſt dicendum, deſcriptiones qualitatum primarum datas ab Ariſt. de illis verificari, conſiderando illas qualitates in ordine ad productionem miſti, ſicq; ſiccitas in productione miſti gerit vicē materię, hinc eſt, quòd Ariſt. dicet intrà, terrā eſſe primo ſiccam, quia illa deſcriptio cōuenit ſiccitati terre; Vel ſecundò erit dicendū omnia illa eſſe vera in conſtitutione miſti, at ſiccitas ignis impedit receptionem figurę, cū enim deſiccet corpora, tunc illud corpus ob ſiccitatem ab igne productam, difficilius recipiet figuram, & formabitur; Vel tertio dicatur, quòd ignis qua ſiccus, difficilius recipit figuram, quam ſi recipit, hoc illi conuenit, qua tenuis eſt, quare impediet receptionem aliarum figurarum.

Controuer. I. ſup. contex. 12.

PRobat Ariſt. aridū reduci ad ſiccū, verbis illis, (Aridum enim q; eſt perfectè ſiccū, adeò vt coagulatū ſit, propter defectum humidi proprij;) Sed quomodo poteſt hęc eſſe verum? cum imperfectum redigatur An aridū reducatur a ſiccū.

ad perfectum,& Ariſtot. in textu dicat, Aridum eſſe quod eſt perfectè ſiccũ, igitur ſiccum reducetur ad aridum, & non ècontrà; Reſpondetur, aridum reduci ad ſiccum, & non è contra, duplici de cauſa, prima eſt, quia reductio iſta de qua Ariſtoteles hic loquitur non eſt reductio imperfecti ad perfectum, vt in argumento accipitur, ſed eſt reductio minus communis ad magis commune, & contenti ad ipſum continens, aridum autem cum ſit minus commune quàm ſiccum, aridum ergò redigetur ad ſiccum; Secundo, hoc etiam fieri debet, quia aridum id propriè dicitur, quod prius eſt præditum humiditate, deinde areſcit, vt exempli gratia, terra dicitur arida, quia prius humida exiſtens, demum priuata eſt illa humiditate, ſimiliter lignum dicetur aridum, quia lignum cum ſit miſtum quodã, quod eſt natum eſſe humiditate præditum, cum ea priuabitur, dicetur areſcere, quia deſtituetur propria humiditate, quod non cõuenire poteſt primis qualitatibus, cum aridũ dicat ſiccitatem in miſto exiſtentem, indè eſt quòd ignis nequaquàm dicetur aridus, terra autem poterit dici arida, quia occulis ipſis videmus terram aliquando madefactam, quę quando erit ſine humiditate, dicetur arida, quo circà aridum reducetur ad ſiccum, ſed non ècontrà.

Con-

Controu. 2. ſuper eodem contex. 12.

An quod caret humido poſſit coagulari, & quo.

IN vltimis contextus verbis dicit Ariſtot. aridum propter defectionem propriæ humiditatis dici coagulatum, & condenſatũ; Obijcitur, quomodo ſit poſsibile quòd coagulatio alicui conueniat ſine humiditate, cũ coagulatio ſemper ſit ratione humiditatis, cui humiditati conuenit coniungere; Reſpondetur, quòd ob defectionẽ propriæ humiditatis aliquid dicitur valdè ſiccum, durũ ac aridum; Si enim fuerit corpus miſtum habens aliquam humiditatem, qua demum priuetur, dicetur aridum, & ratione humiditatis poterit habere copulationem, & ideò in miſtis reperitur coagulatio, ſeu condẽſatio partium; Si autem fuerit corpus ſimplex, vt terra, nequaquàm dicitur quòd copulatio fiat ab humiditate, hoc itaq; non ſit verum, niſi de corporibus miſtis, minimè de ſimplicibus, hinc eſt quòd Galenus in Lib. de Elemẽtis, & in Lib Hippoc. de Natura humana, dicebat, terram puram eſſe duriorem adamãte, quia tunc conſideratur vt omni humiditate eſt deſtituta; copulatio igitur, & coagulatio non conueniet partibus corporum ſimplicium, ſed miſtorum tantummodo.

Controuer. ſuper contex. 13.

An durũ reducatur ad ſiccũ.

DOcet Ariſt. durum attribui ipſi ſicco, quia durum eſt compactum, & quod eſt compactum eſt ſiccum; Quomodo hoc eſt verum, cum potius ècontrà ſit, quòd ſiccum attribuatur duro, cuius ratio eſt, quia ſi minus commune redigitur ad magis commune, vt ſuprà in ſolut. Controu. primæ ſuper tex. 12. dictum fuit, durũ autem ſit magis commune quàm ſiccum, ergo ſiccum reducetur ad durum, & non ècontrà, vt dicit Ariſt. quòd autem durum ſit cõmunius ſicco, ex hoc conſtat, quia multa ſunt dura, quæ non ſunt ſicca, vt Cœlum eſt durum, non tamen eſt ſiccum, metalla quoq; ſunt dura, non tamen ſicca, glacies etiã eſt dura, non tamen ſicca; Reſpondetur, ſiccum minimè reddigi ad durum, ſed ècontrà, durum redigi ad ſiccum, & hoc intelligatur in ipſis mortalibus, in omnibus enim mortalibus, omne durũ eſt ſiccum, & non ècontrà, vt ignis ſiccus, nõ durus, ſpiritus corporis ſunt ſicci, qui non ſunt duri; Cum verò dicitur in argumento, multa eſſe dura, quæ non sũt ſicca, hoc negatur; Immó omne durũ eſt ſiccũ in his mortalibus glacies .n. ſub rõne qua eſt dura, eſt ſicca, eſt nãq; tria ad terrã, ideó glacies quæ dura eſt, etiã eſt ſicca, eò q̃a quãdo fit glacies, deſtrui

tur

tur humiditas; Sic pariter metalla quatenus dura, tendunt ad naturã terræ, quãuis à prædominio dicantur aquea, at quatenus sũt dura, dicuntur etiam ſicca; Ad id quod dicitur de Cœlo, dico q. Cœlum æquiuocè durum, ac ſiccum dicitur, ſicut enim impropriè Cœlum dicitur ſiccum, ſic etiam impropriè dicitur durũ, cum ea quæ Cœlo, & mortalibus conueniunt, non eodem conueniant modo, vt docet Auerroes in ſuo Lib. de Subſtantia Orbis, quare non erit verum, durum eſſe in plus, ſeu communius quàm ſiccum, cum Cœlum inquàm eo modo quo eſt durum, eo modo etiam ſit ſiccum, eſt durum æquiuocè, ſic etiam æquiuocè erit ſiccum.

Controuer. ſuper contex. 15.

Concludit Ariſt. qualitates primas numerò eſſe tantũ quatuor; Oppoſitũ ab ipſo colligitur Primo Phy. tex. 50. vbi ſcriptũ reliqt, in omni genere eſſe vnã primã contrarietatẽ, ergo in genere qualitatũ tãgibilium erit vna prima contrarietas, ergo tantum erunt duæ primæ qualitates, cum quælibet contrarietas ſit tantum inter duo extrema, non ergo erũt quatuor qualitates primæ; Augetur hæc cõtradictio, qa ibidẽ Primo Phy. tex. 50. dicebat, ſi eſſẽt duę pͥmę cõtrarietates, duę eſſẽt materię priã; ſed tñ eſt vna *An qualitates primæ ſint tãtũ quatuor.*

materia, quia ad patiendum ſufficit vnum, ibidem dixit, igitur tantum vna prima contrarietas, igitur tãtum duæ primæ qualitates; Inſuper 8. eiuſdem tex. 55. dixit, omnes cõtrarietates ducere ortum à raro, & denſo, igitur rarum, & denſum erunt omnium primi principia, quo ſtante ſequitur, has quatuor qualitates habere alia principia, quomodo igitur vocat eas primas? Inſuper, illa cõtrarietas quæ reducitur ad aliam non eſt prima, at contrarietas ſicci, & humidi reducitur ad contrarietatem calidi, & frigidi, per ipſummet Ariſtot. 4. Meteor. dicentem calidum exiccare, frigidum humectare, igitur tantum duæ erunt primæ qualitates; Accedit quòd ipſe Ariſt. videtur diminutus, cum omittat lucem, quæ lux eſt qualitas prima, vt lux Solis, cum non dependeat ab alijs; Reſpõdeo quòd loqui de qualitatibus primis contingit dupliciter, vel enim loquimur de qualitatibus primis abſolutè, vel loqmur de qualitatibus primis .ſ. tangibilibus; Si primo modo, dico quód vna tantum eſt prima qualitas, nempè lux, lux enim ſecundum Ariſt. eſt qualitas, & eſt actus diaphani, qua diaphanum, & eſt prima abſolutè, quia ab alijs non pendet qualitatibus, & attendas q, dum aſſero lucem eſſe primam qualitatem abſo-

An lux ſit qualitas prima & quo.

lutè,

lutè, quòd loquor de luce Cœli, non autem de luce horum mortalium, cum lux Cœli, cũ mortalium luce ſit æquiuoca, lux enim horũ mortalium eſt qualitas ſecunda, quia ortum ducit à temperamento, indè eſt quòd elemẽta pura non lucent, ignis enim purus non lucet, qui ſi lucet, eſt quatenus fit incenſio, quę eſt miſtio, ſimiliter nec alia elementa pura lucem habent, at lux cœli abſolutè eſt prima qualitas, cœlum enim motu, & lumine ſuo tãtum agit in hæc inferiora, dixit Ariſt. 2. Cœli tex. 42. qua ratione lux Cœli obtinet rationem principij, & cauſæ in his corruptibilibus; At ſi loquamur de qualitatibus primis non abſolutè, ſed de tãgibilibus, ſic lux non eſt qualitas prima, ſed ſunt quatuor ab Ariſt. in textu præſenti dictæ; Quæ quatuor qualitates dicuntur primæ, quoniam ex illis inſurgunt temperamenta, ac etiã ad differentiam qualitatum ſecundarum, vt odoris, ſaporis, coloris, & conſimilium, quæ à primis quatuor oriuntur, ſed non ècontrà; Quæ adhuc dicuntur primæ, quia ab illis prima materia denudari non poteſt, quæ tamen à ſecũdis denudatur; Inſuper dicuntur primæ, quoniam sũt primæ diſpoſitiones, ac neceſſarię prò formis ſubſtantialibus introducendis in materia, cuius modi non ſunt color,

An quatuor qualitates tãgibiles ſint primæ, & quõ.

odor, ſapor, nec aliæ qualitates ſecũdæ; Quæ adhuc dicuntur primæ, quoniam conueniũt primis quatuor corporibus, quibus nõ conueniunt colores, odores, ſapores, nec alię huiuſmodi, vt habetur dilucidè ab Ariſt. 3. Cœli; Inſuper dicuntur primæ, quia illis conuenit primus ſenſus, qui eſt tactus, quem tactum voco primum ſenſum via originis, non autem perfectionis, quia ſic viſus eſt primus ſenſus; Addo, quòd adhuc dicũtur primæ qualitates, quatenus illis correſpondent quatuor corpora ſimplicia, quatuor temperamenta, quatuor ætates, quatuor anni partes, conſimiliter, & quatuor mundi partes, ac quatuor Cœli cardines; Addo etiam quòd loqui de prima contrarietate ſtat dupliciter, vel enim eam quærimus in ordine ad generationem, & corruptionem abſolutè, ſeù in communi, vel in ordine ad corpora tangibilia, ſi primo modo, tunc eſt vna tantum prima contrarietas, ſeù oppoſitio, & eſt illa quæ eſt ſecundum habitum, & priuationem, ſicq; Primo Phy. inquirens principia generationis, & corruptionis in communi, tantum vnicam eſſe contrarietatem, ſeù oppoſitionem dixit, at ſi loquamur de contrarietate non in communi, ſed in ordine ad corpora tangibilia, ſic duæ erunt primæ contra-

An tantũ ſit vna prima cõtrarietas, & quo.

rie-

rietates, & per conſequens quatuor primæ qualitates, & ſic in præſenti loquitur Ariſt. Ex quibus prænotatis tollũtur inſtãtiæ omnes, præter quartam ex 8. Phy. deſumptam, vbi aſſeruit rarum, & denſum eſſe omnium prima principia ex ſententia aliorum.

Controuer. ſuper tex. 16.

Qualitates primas vocat Ariſt. elemẽta, & præcipuè hoc aſſero ſecundũ expoſitionem Ioannis Grammat. At in Primo huius tex. 23. vocauit has qualitates primas, paſsiones elementorum; Accedit, quòd in 2. Lib. de Partibus Animali. Cap. Primo hæ qualitates dictæ ſunt ab Ariſtot. materię miſtorum; Ibidem etiam Cap. 2. dicuntur primordia, ſeù principia elementorum; At qui fieri poteſt quòd varijs nominibus ſic ab Ariſt. nominentur abſq; contradictione? At hoc non ſit inconueniens ſi diuerſa ratione conſiderẽtur hæ qualitates; Quod declaro, Hic ab Ariſto. dicuntur elementa, quatenus iſtę qualitates ſunt interna principia corporum ſimplicium, notãter dico (corporum ſimplicium eſſe principia,) & non corporum miſtorum ſicut dicebat Atheneus, qui iure repræhenſus eſt à Galen. in Primo Libro de Elementis Cap. 6. hac ratione,

An qualitates primæ poſſint dici elemẽta.

Qualitates primę quomodo ab Ariſt. dicãt elementa.

Elemen-

elementum deber eſſe eiuſdem generis cum corporibus miſtis, igitur qualitates hæ non erunt elementa miſtorũ; At ille dicet, ſi Galenus ratione dicta reprahendit rectè Atheneum, reprahendendus ergo erit quoq; Ariſtot. eadem ratione, cum qualitates hæ non ſint eiuſdem generis cum corporibus ſimplicibus, qualitates enim hæ non ſunt corpora; Dico Ariſtotelem non craſſe, vocando qualitates elementa, quatenus inquàm ſunt principia prima corporum ſimplicium, de ratione enim elementi eſt quòd ſit principium internum illius cuius eſt elementum, vt ab ipſo Ariſt. habetur 5. Metaph. & non quòd ſit eiuſdem generis cum eo, cuius eſt elemẽtum, vt dicit Galenus; Vel erit dicendũ, Galenum preſsius accepiſſe nomen elementi, Ariſtotelem verò fuſsius; quicquid tamen ſit, Atheneus magis eſt reprahẽdẽdus, q aſſeruit qualitates eſſe principia corporũ miſtorum, quàm Ariſt. ponens eas eſſe principia prima corporum ſimplicium; Inſuper eædem qualitates dicuntur paſsiones elemẽtorum, quatenus inſequentur formas ſubſtãtiales ipſorum, quæ elementa ſunt corpora, quodlibet autem corpus habet ſuam formam ſubſtantialem, quæ eſt prior ipſis accidentibus; Dicuntur etiam ab Ariſt. materia miſtorum

Qualitates primę qũo ab Ariſt. dicãt paſſiones elemẽtorũ, & mã miſtorũ, ac principiũ elemẽtorum.

rum

rum,ſub ratione qua qualitates iſtæ in miſto videtur remanere,ex quibus demum fit temperamentum; Sortiuntur etiam nomen hoc, principium elementorum, quia gerunt vicẽ formarum ſubſtantialium in ipſis elementis, per has enim qualitates conſtituuntur elementa,ſub ratione qua ſunt corpora ſenſibilia ſenſu tactus, non ſit igitur inconueniens ſi diuerſis nominibus ſub diuerſa ratione ſunt prædita.

Controuer. ſuper tex. 17.

An elemẽta tantum ſint quatuor.

Confirmat in præſenti tex. & in duobus ſubſequentibus,elemẽta eſſe quatuor ex ſententia antiquorum; Cui ſẽtentiæ obijci ur multipliciter, & primò ex ſententia Ariſt. 3. Cœli tex. 31. dicẽtis,elementa ſunt corpora prima,at de ratione primi,eſt quòd ſit vnum, igitur de ratione elementi erit quòd ſit vnum, cũ ſit corpus primum; Præterea, videtur aſſerendum, quòd tantũ ſint duo,duo videlicet extrema ignis, & terra,quia media .ſ. aer,& aqua, infrà tex. 32. vocat corpora miſta, igitur illa duo media non erunt elementa, cum de ratione elementi ſit, quòd ſit corpus ſimplex; Inſuper videtur dicendum quòd ſint tantum tria,qa ignis non eſt elemẽtum, quód pluribus probatur rationibus, & primò, quia ſi ſic, tunc

ignis

ignis locaretur ſub cœlo,cum alibi nõ poſsit locari, at ſub corpore cœleſti ignis non poteſt locari,ratio eſt, quia cum ignis ſit maximè actiuus, & alteratiuus, cœlum autem ſit corpus puriſsimum,tunc cœlum alteraretur, at cœlo nulla conuenit alteratio, cum ergò ignis ſub cœlo non poſsit locari, nec alibi, non erit ergò elementum; Quod adhuc confirmatur, quia ſicut per incenſionem cõmetes,maximus fit apud nos calor,quid eueniet,ſi corpus adeò magnum nos ambiret? eſſemus veluti in cõtinua fornace, omniaq; corruerent ex maximo calore, ignis ergó inter elementa non erit ponendus; Accedit quòd ignis ſi locatus eſſet ſub cœlo, igitur quãto magis aſcenderemus,tanto maiorem perciperemus calorem, cuius oppoſitum experientia conſtat, cum in locis altiſsimis, vt in mõtibus,niues,& glacies diũ ſeruentur, Adde quòd de ratione elemẽti eſt, quòd ex eo aliquid fiat,vt conſtat ex diffinitione elementi ab Ariſt.data 3.Cœli tex.31.at ex igne nihil fit, ex sũmè .n. calido nihil poteſt fieri, ignis autem eſt ſummè calidus, ex illo igitur quidquàm fieri erit impoſsibile; Addas etiam q; ſuper vacaneum eſt ponere ignem, cum calor cœleſtis ſit ſufficiens, ad hoc vt elemẽta miſceantur, & mixta conſtituantur;

Inſuper

Inſuper elementum non nutritur, non habet colorem, habet certam, & determinatam molem, ignis autem nutritur, habet colorem, caret determinata magnitudine, ignis igitur non erit elementum, & id. ó Ariſt. Primo Meteo. aſſerebat ſub cœlo non reperiri ignem, ſed id ꝙ per conſuetudinē vocamus ignem; Theophraſtus quoq; in Lib. de igne, negauit ignem dari; Pariter & Ariſt. in Lib. cui titulus ē, De proprietatibus Elemētorum, negauit ignem dari, & præcipuè hac ratione, Illud quod ex ſola alterius alteratione generatur, non eſt elemētum, cum ad alterius generationem ſola alteratio non ſit ſufficiens, elementum autem ſit ſubſtantia, & ſubſtantia per ſolam alterationem non generetur, ſed ignis ſola alterius alteratione gignitur, ex ſola enim aeris alteratione gignitur, ignis igitur non erit elementum; Antequàm hęc ſoluantur argumenta, duo in primis noto, quorum alterum eſt, quòd cum quæritur an ſint quatuor elementa, elementum eo accipitur modo, quo diffinitum fuit ab Ariſt. 3. Cœli tex. 31. videlicet, (Elementum eſt corpus ſimplex in quod alia corpora reſoluuntur, inexiſtens potentia, vel actu;) Quæ diffinitio conuenit tm̄ elementis, de quibus in p̄ñ:i loqtur Ariſt. Et hoc dico qa Ariſt. 5. Metaph.

Primum fundamē tum ꝑ ſolut. arg.

Metaph. tex. 4. alio modo diffiniuit elemẽtum, & ſic dixit, (Elementum eſt ex quo cõponitur res, primo in re inexiſtens, & indiuiſibile ſecundum ſpeciem;) De qua diffinitione eſt difficultas ſatis dubia, an talis diffinitio conueniat ſoli materiæ, vt tenet Scotus, an etiam conueniat his corporibus, vt alij tenent, quam difficultatem nunc omitto, ſed loquor de Elementis, iuxtà diffinitionẽ elementi datam 3. Cœli ab Ariſt. Alterũ quod noto eſt, quæ ſint conditiones requiſitæ ad hoc vt aliquod corpus vocetur elementum; Quę potiſsimum ſunt ſex, vt ab Ariſt. & Galeno poteſt colligi; Quarum prima eſt, vt tale corpus ſit primum in ſuo genere, & hanc docet Galenus Primo de Elemẽtis Cap. 6. dicens de ratione elementi eſt vt ſit primum; Secunda conditio eſt, vt ex eo aliquid fiat, & hęc habetur ab Ariſt. 5. Metaph. tex. 4. Tertia eſt, vt tale corpus habeat in vniuerſo certum locum, in quo ſecundum naturã quieſcat, vt ignis ſurſum, terra deorſum, quomodo elementa dicuntur partes vniuerſi, vniuerſumq; conſtituunt; Quarta eſt, vt retineãt determinatam magnitudinem, ratio eſt, quia partes reſpectu totius ſemper habent determinatam molem; Quinta eſt, vt tale corpus elementare ſine alimento ſeruetur, immò de

Secundũ fundam.

Quot cõditiones requirãtur ad hoc vt aliq corpus dicatur elemẽtũ.

ratione ſui eſt, quòd alijs præbeat nutrimentum. & hoc, quia eſt corpus primum; Vltimò requiritur, vt ſit indiuiſibile in varias ſpecies, ſeu formas; ſicut corpus noſtrum diuiditur in carnem, oſſa, neruos, ſanguinem; at elementum non ſic diuiditur, ratio eſt, quia non eſſet primum, immò eſſet compoſitum ex diuerſis particulis, idcircò ob hoc dicimus q̃libet partem aquæ eſſe aquam, & ſic de alijs; Quibus præmiſsis, ſatis rationibus facio; Erat prima, quæ illi innitebantur regulæ, De ratione primi eſt quòd ſit vnum; quæ regula abſolutè prolata veritatem nõ habet in omnibus enim non verificatur, quòd ſit deuenire ad vnum primum. vt in Grãmatica, non eſt deuenire ad vnam primam literam, ſed ad primas quæ non ſubordinantur, ſed omnes æqualiter ſunt primæ, ſic etiã de multis alijs eſt dicendum; Regula itaq; illa veritatẽ habeat in ſubordinatis, in his enim eſt deuenire ad vnum primum, cum in illis nõ ſit procedere in infinitum; Inſuper dico talem regulam in elementis etiam verificari, cum in illis ſit deuenire ad vnum primum non abſolutè, ſed in ſuo genere, declaro, cum enim elementa ſint corpora ſimplicia, concurrãtq; materialiter ad generationẽ rerum, ſic in genere cauſæ materialis erit deuenire ad vnum primum

Regula hæc, de ratione primi eſt q; ſit vnum, quõ ſit vera.

primum, quia eſt deuenire ad vnam primam materiam; In alio adhuc ſenſu regula illa verificatur de elementis, cum enim elementa ſint ſubſtantiæ, tunc eſt deuenire ad vnum primum, ſcilicet ad vnum genus generaliſsimum, quòd eſt ſubſtantia, ad quam omnes ſubſtantiæ redigentur; Adhuc regula illa de elementis veritatem habebit alio modo conſideratis, ſi enim elementa conſiderētur quatenus per varias ſpecificantur qualitates ſic in omni genere eſt deuenire ad vnum primum, vt in genere calidi, & ſicci eſt deuenire ad vnum primum, nempè ad ignem, in genere calidi, & humidi, ad aerem, & ſic de alijs; Vltimò regula dicta etiam veritatem retinebit de elementis, conſiderando ipſa quatenus ſunt corpora ſimplicia, eſt enim deuenire ad vnum primum corpus ſimplex, quod eſt cœlum, à quo elementa quoddammodo dependent, primo enim in ordine eſt ignis, illi maximè propinquus, ſecundo eſt aer, & ſic de reliquis, quocircà regula illa de elementis modis dictis verificetur, at abſolutè intellecta ſit falſa; Dicebatur in ſecunda ratione, *De ratione elementi eſt quòd ſit corpus ſimplex, &c.* Dico elementa vocari (media) quo ad poſitionem, quia inter extrema ſunt ſituata, ſcilicet, inter ignem, & terrā;

Di-

Dicũtur etiam (media) quo ad participationem, & conueniẽtiam, quam habent cũ duobus extremis prędictis, non ſunt autem media per compoſitionem, ſeũ miſtionem, ſed ſunt ſimplicia, licet ſint minus pura, quã extrema, cum illis namq; participant, vt aer cũ igne, aqua cum terra, ob hoc nõ tollitur quin ſint elementa, cum elementa pura non dētur; Sequuntur rationes quibus probabatur ignẽ non dari, quæ vt de facili ſoluantur, sũt quędam declaranda; Et primò eſt notandum, eſſe neceſſarium ignem dari, & primò hoc cõſtat ex rationibus hic ab Ariſt. adductis, ac 3. Cœli, quas nunc non reffero, ſed eas cõfirmo, & primo ex regula Ariſt. 2. Cœli tex. 18. quæ eſt, ſi vnum contrariorum eſt in rerum natura, neceſſe eſt, & alterum eſſe, eo q̃a natura non producit vnum contrarium, quin & alterum etiã producat, & ideó pró adæquatione, ſi vnum contrarium eſt, neceſſe eſt & alterum eſſe, modo cum ſit aqua quæ eſt summè frigida, & humida, neceſſe eſt vt ignis ſit, qui ei opponitur, qui eſt ſummè calidus, & ſiccus; cum etiam detur ſummè graue, etiã dari ſummè leue neceſſe eſt; Cum adhuc detur ſummè denſum, debet etiam dari ſummè rarum, quæ omnia igni conueniunt, ignis ergo ex neceſsitate erit ponẽdus; Secũdo no-

Rationes quibus ꝓbatur eſſe neceſſarium ignẽ dari.

eo, quòd ignis qui eſt propè nos,& vſualis, non eſt elementum, eo quia non eſt corpus ſimplex,ſed miſtum,flāma enim & carbo ſūt corpora miſta,nec ſunt elementa, cum egeāt continua nutritione, & ignis iſte non ſeruetur ſinè nutrimento; Si autem quis quærat, An ſub orbe lunæ ſit ignis; Reſpondeo. ꝙ ſi per ignem intelligimus illum,quem vulgo dicimus ignem,qui eſt flama, dico quòd ſub orbe lunæ non eſt ignis; Si verò noīe ignis intelligamus corpus valdè leue,& purificatum,ſummè calidum,& ſiccum,ſic ibi eſt elementum ignis, qui tamen non eſt incenſio, ſeū flama,nec eſt corpus aptum incendi,quia nihil habet humiditatis,quę humiditas eſt pabulum incenſionis; Ex quibus plura diluuntur problemata primum eſt, Si ſub orbe lunæ reperitur ignis,cur non lucet? Non eſt dicendum vt Latini dicunt expoſitores,qui huius cauſam dicunt hanc eſſe, qa talis ignis non eſt rarus;Quæ reſpōſio eſt falſa, cum talis ignis ſit corpus rariſsimum; Sed eſt reſpondendum cum Auerroe 4. Cœli com. 32. ignem illum non lucere,quia lux nō eſt qualitas,quæ conueniat corpori ſimplici,lux.n. quæ propè nos eſt, cauſatur ex incenſione, at ignis qui ſub orbe lunæ eſt,non eſt incenſio,nec flama, & ideo non lucet, immò ſi lu-

An ſub orbe Lunæ ſit ignis.

Ignis ſub orbe Lunæ exiſtēs lucet.

Reſponſ. Latinor. Confuta.

Vera ſol.

cereſ, non eſſet elementum; Soluitur & aliud problema, Cur eſt, quòd ille ignis nõ extinguitur, cum non nutriatur, at ignis qui eſt propè nos, cum careat nutrimento extinguitur; Dico quòd hoc prouenit ex deprauata illorum imaginatione, qui enim ſic dicunt, opinantur ignem illum eſſe, vt ignis qui eſt propè nos, qui eſt incenſio quædã, quæ eget continuo pabulo, quo corpus purũ nõ eget; Diluitur & aliud, Cur eſt quòd ille ignis nõ comburrit alia elementa, nec deſtruit? quare etiam nos non calefacit; Dico cauſam huius eſſe, quia ille ignis non eſt incenſio, quæ eſt maximè nata calefacere, & comburere, ſed eſt corpus purum, quod nullo modo comburrit, immò ſtellæ cadentes, & cometes non producuntur ab illo igne, cum non ſit aptus incendere, ſed producuntur à motu cœli, quẽadmodum rectè cenſuit Alex. 2. Lib. Quæſt. Natural. Cap. 16. qui dixit illum ignem non eſſe vt ignis qui eſt apud nos, qui eget alimento, ille autem non, Et hæc etiam fuit ſẽtentia Ariſt. 3. Lib. de Gen. Animal. Cap. xj. quòd ignis qui eſt propè nos eſt forma quędam in aliena materia, eſt enim combuſtio in aliena materia, ſcilicet in alimento; Ex quibus diluuntur prima duo argumenta, negãdo ſequi talia, quæ inferrebantur, cum talis

An ignis qui ſub lunæ orbe eſt poſsit extingui.

ignis non ſit incenſio, ſicuti eſt ignis, qui eſt propè nos, ſed ſit corpus puriſsimum; Addo quòd dato quòd ille ignis eſſet aptus deſtruere corpora alia, non eſt tamen aptus deſtruere ipſum cœlum, quia cœlum nulla afficitur qualitate, nec habet naturam, quam habent hæc inferiora; Diluitur adhuc & tertium argumentum, in quo dicebatur, quòd quanto magis aſcendimus, tanto maiorẽ perciperemus calorem; Quod eſt negandum, cũ ignis ille non ſit incenſio, nec flama combu-rens alia, ideò ſi aſcendimus, caliditas illa nõ percipitur; Vel dico, illud non ſequi, qa caliditas quæ eſt apud nos, & propè terram ſit, prouenit ex reflexione radiorum Solis, qui in montibus non ita reflectuntur, ideò nec in montibus tanta percipitur caliditas; Cũ verò dicebatur, ex igne nihil fieri, & addebatur, quòd calor cœleſtis erat ſufficiens; Reſpondeo, ignem de neceſsitate concurrere ad miſtionem, quia vnum extremum non poteſt ad mediocritatem, & temperiem reduci ſine concurſu alterius contrarij, aqua enim cũ ſit humida, non reducitur ad mediocritatẽ, niſi concurrat contrarium, videlicet ignis, qui ẽ ſiccus; Addo quòd ſi concurrit calor cœleſtis, non concurrit formaliter, cũ cœlum formaliter non ſit calidum, ſed virtualiter, & ob

hoc

hoc reqriturcorpus quod ſit formaliter calidum, & ſiccum quod tale eſt ignis; Ad aliud, concedo quòd ignis, qui eſt propè nos non eſt elementum, quia eſt flama, quæ flama minimè eſt elementum; Ad authoritatẽ Ariſtot. dico ſub cœlo nõ eſſe ignẽ qui eſt propè nos, qui ignis ſi dicitur ignis, eſt æquiuocè, ignis enim qui ſub cœlo eſt, & qui eſt propè nos dicuntur æquiuocè ignis, quia ille q eſt ſub cœlo, eſt corpus ſimplex, at ignis qui eſt apud nos, eſt corpus miſtum, corpori autem miſto, & corpori ſimplici variæ competunt diffinitiones, licet non ſit pura ęquiuocatio, quia inter illos eſt ordo quidam, ſicuti eſt in his, quæ ſunt ab vno ad vnum, per prius enim ignis dicitur de illo, qui ſub cœlo eſt, per poſterius de hoc qui eſt ꝓpè nos, ſicq; hoc nomen ignis potius eſt analogum, quàm purum æquiuocum; Ad authoritatem Theophraſti, reſpondeo ipſum negare ignem ibi dari, qui videlicet ſit vt ignis q eſt propè nos, cum apud nos non ſit elementũ purũ; Ad authoritatem Ariſt. primò dico quòd talis liber non eſt ſuus, cum phraſis, & ſententia non ſit conſona modo loquendi Ariſtotelis, cum inſuper ibi legantur multa dictis Ariſtotelis non conuenientia; Vlterius dico, quòd author illius quicumq; fuerit, non ne-

gat abſolutè ignem, immò aſſerit quatuor eſſe elementa, rationiſq; adductæ minor propoſitio eſt falſa, nempè quòd ignis ex ſola aeris alteratione generetur, immò vltrà alterationem adeſt corruptio, & generatio, cum aer nō ſolum alteretur, ſed etiam corrumpatur, ex cuius alteratione, & corruptione generatur ignis, quare ſola alteratio pro illius generatione non eſt ſufficiens.

Controuer. ſuper tex. 24.

An generatio ſit ex cōtrarijs, & inter contraria.

DIcit Ariſt. generationem ex cōtrarijs eſſe, & inter contraria; Oppoſitum huius habet 5. Phy. tex. 7. vbi negat generationem verſari inter contraria, ſed affirmat eam eſſe inter contradictoria, inter eſſe, & non eſſe, verſari autem inter contraria, vult conuenire motui, generationi igitur hoc non conueniet, cum ſit diſtincta à motu; Reſpondeo, & dico generationem varijs de cauſis verſari inter contraria, & primò quatenus generatio propriè loquendo verſatur inter formā, & priuationem, quę forma, & priuatio ſic ſe habēt quòd ſuſa acceptione, contraria dicuntur, vt etiam dixit Ariſt. Primò Phy. tex. 41. 42. 47. 48. & 50. quibus in locis dixit, principia eſſe contraria, & ſic primò ſoluitur contradictio

ctio

ctio propoſita, cum 5. Phy. acceperit cõtrarietatem propriè, & quatenus eſt diſtincta contrà oppoſitionem priuatiuam; Secundo dico, generationem verſari inter contraria, quatenus priuationi quæ eſt eius terminus ſemper eſt annexa contrarietas, licet enim generatio ſit inter formam, & priuationem, qã tamen priuationi ſemper cõnexa eſt contrarietas, vt declarat Alex. Primo Quęſt. Natural. Cap. 16. ſic generatio eſt inter contraria; Inſuper, generatio eſt inter contraria, quatenus ſubſtantiæ aliquo modo conuenit contrarietas, ratione nempè accidentiũ; Vltimò generatio pariter & corruptio ſunt inter cõtraria, licet propriè ſint inter formam, & priuationem, quatenus generationi, & corruptioni annexa eſt alteratio, quæ eſt via ad formam, ſicq; in propoſito ſe habet, elemẽta .n. cum ſint prædita contrarijs qualitatibus, penes quas alterantur; ſic dicit Ariſt. quòd generatio illorum eſt ex contrarijs, ac inter cõtraria.

Controuer. ſuper contex. 25.

An Elemẽta ſimbola facilius inuicem trãſmutẽtur.

INquit Ariſt. in iſto contex. Elementa in vna qualitate conuenientia, facilius trãſmutari inuicem, quàm quæ vtriſq; contrariantur; Obijcitur multipliciter; Et primo, quia certum eſt elementa in qualitate nõ

conuenire, ita quòd qualitas in duobus ſit eadem, immò eſt diuerſa, nã & ſi ignis & terra in ſiccitate conueniant, non eſt tamen eadẽ ſiccitas in vtriſq; ſed diuerſa, pariter non eſt eadem humitas aeris cum humiditate aquæ, cum igitur qualitates in quibus elementa cõueniunt non ſint eedem, ſed diuerſæ, patet quòd non ſat erit permutare vnam qualitatem, ſi enim permutetur caliditas ignis, & remaneat ſiccitas, illa tamen non eſt eadem cũ ſiccitate terræ, igitur illa etiam erit permutãda, & hæc etiam fuit ſententia Alex. Primo Quæſt. Natural. Cap. 6. ergo Ariſtotelis ſententia in iſto tex. non videbitur vera; Adhuc augetur difficultas, quia non ſat eſt quòd ſit variatio in huiuſmodi qualitatibus ad hoc vt vnum elementum in aliud vertatur, do exemplum, accipiatur aqua, quę eſt frigida, & humida conuenit cum aere in humiditate, ratione verò frigiditatis ei contrariatur, ſi calefiat, fit calida, & humida, non tamen eſt aer, licet habeat vtramq; aeris qualitatem, igitur eſt falſum quòd ex deſtructione vnius qualitatis ſtatim vnum elementum vertatur in aliud; E contrà aer eſt calidus, & humidus, non ſtatim tamen quòd refrigeratur, vertitur in aquam, igitur alia etiam erunt permutanda, vt raritas, & denſitas, grauitaſq;, ac

leuitas, ac forma ſubſtantialis; Inſuper, adhuc Ariſt. ſententia videtur falſa, nempè q̀ vna tantum ſit permutanda qualitas, quia ſi elementa conſiderentur, vt ſunt in vniuerſo, habent qualitates extremas, ſi duo itaq; elemēta in vna conueniant qualitate, in gradu tamen non conueniant, qualitas igitur quę remanet, neceſſe eſt quòd in gradu intendatur, vel remittatur, ad hoc vt fiat vnius elementi in aliud permutatio; Vltimò, non videtur eſſe dicendum, quòd ſit facilior permutatio inter elementa in vna qualitate conueniētia, quàm inter elementa in ambabus contraria, quia ſicut ſe habet vnum ad vnum, ſic duo ad duo, formetur itaq; ſic ratio, quādo eſt eadem proportio inter agens, & patiens, inter permutans, & permutatum, eodem modo facilis, vel difficilis eſt permutatio, cum facilitas, & difficultas conſiſtat in certa proportione agentis ſuprà paſſum, cum namq; agēs ſuperat paſſum faciliter permutat, dicimus igitur quòd ſicut ſe habet elementum cōtrarium ad contrarium, ita elementum ſymbolicum ad ſymbolicum, ignis enim permutans aquam, duo habet permutare, ſic q; per duo operatur, ſed vt duo permutant duo, ſic etiā vnum permutat vnum, quia eadem eſt proportio, ſicut igitur ignis ſe habet ad aquā, ſic

etiam ignis ad terram; Vt hęc ſoluantur difficultates, duo ſunt declaranda quorum primum eſt, An qualitates ſymbolicæ elementorum ſint eiuſdem ſpeciei, vt an ſiccitas ignis ſit eiuſdem ſpeciei cũ ſiccitate terræ, ſi enim ſũt alterius, & alterius ſpeciei adhoc vt ignis vertatur in terra, permutanda etiam erit ſiccitas, idcircò videndum eſt, an ſint eiuſdem ſpeciei, vel alterius iſtæ ſiccitates, ſicut dicimus in hoc exemplo, ita erit de alijs qualitatibus in quibus ipſa conueniunt elemẽta dicendum; Quòd ſint alterius ſpeciei, probatur ex Alex. Primo Quæſt. Natural. Cap. 6. vbi dicit quòd ſiccitas ignis (de qua exemplum eſt datum) eſt alia à ſiccitate terræ, ſi ſic, igitur illa erit permutanda; Et hæc etiam fuit ſententia Simplic. 2. Cœli com. 13. dicẽtis, ſiccitatẽ ignis eſſe aliam à ſiccitate terræ, ergo etiam illa erit permutanda; Inſuper Io: Gram. Primo huius Com. 72. dicit, quòd humiditas aeris non eſt eadem cum humiditate aquæ, eſt igitur diuerſa, ergo in elemẽtis ſymbolicis illæ ſunt permutandæ; Sed vtor hac ratione; Quæ ſunt eiusdem ſpeciei, ipſis eadem conueniunt, at caliditati ignis, & aeris eadem non conueniunt, ſed diuerſa, ergo ſũt diuerſæ; Quòd illis competant diuerſa, patet, nam caliditas ignis eſt deſtructiua humidi-

An qualitates ſimbolæ elemẽtorum ſint eiusdem ſpeciei.

miditatis, at aeris caliditas illius eſt conſer-uatiua; Quòd etiam ex effectibus fit euidẽs quando enim qualitates ſunt in varijs elemẽtis, varios etiam producunt effectus, hæ igitur qualitates erũt diuerſę; At prò alia parte adeſt veritas, omnia enim quæ in eadẽ cõueniunt diffinitione, in natura etiam, & eſsẽtia conueniunt, cũ diffinitio explicet rei naturam, at cuiuſcumq; humiditatis eamdẽ tradidit Ariſt. diffinitionem, pariter & cuiuslibet ſiccitatis, & ſic de alijs, ergo hę tales qualitates erunt eædem; Quòd etiam ipſo ſenſu confirmatur, ſenſus enim tactus qualitatũ tãgibilium eſt iudex, at ſenſu percipitur quòd caliditas quælibet eſt eiuſdem naturæ, ſic & quælibet frigiditas, eodem namq; modo frigiditas terræ, & aquæ ſẽſum tactus afficiunt, igitur erunt eiuſdem ſpeciei; Vt veritas huius quæſiti elucefcat, tria ſunt notanda fundamenta, quorum primum eſt, qualitates primas in elementis non eſſe agentia principalia, ſed eſſe eorum formas ſubſtantiales, quæ principaliter agunt, qualitates verò ſũt formarum inſtrumenta; ex quo fundamẽto colligitur quòd eædem qualitates quæ dirigũtur à varijs formis ſubſtantialibus, ad diuerſa etiam diſponunt, varie q; operantur modo inſtrumentum enim eo operatur modo, quo diri-

dirigitur ab agente principali; Secundũ fũdamentum eſt hoc; Ab eiſdem qualitatibus varijs, annexa varia etiam, ac diuerſa fieri poſſe, caliditas enim ſiccitati iuncta vnũ producit, quę ſi humiditati ſit annexa, facit aliud qualitates igitur iſtæ diuerſis iunctæ vario operantur modo; Ex quibus colligitur, quòd qualitates hæ ſunt eiuſdem ſpeciei eſſentialiter, at differre tantum accidentaliter, Vltimum fundamentum eſt, Quòd qualitates per varios gradus, (vt per variam intenſionem & remiſsionem) varia producere poſſunt; Et per iſta ſoluuntur difficultates propoſitę; Authoritatibus reſpondetur, quòd qualitates dicuntur eſſe diuerſæ ſpeciei accidẽtalis, ſed non eſſentialis, prò vt iunguntur raritati, vel denſitati, ſic accidentaliter differunt; Si etiam ſunt diuerſę ſpeciei, hoc eſt quia per varios differunt gradus accidentales, non autẽ eſſentiales; Rationi primæ reſpondetur, ꝙ ſi caliditas ignis conſumit humiditatem, hoc non facit prò vt eſt humiditati iuncta, ſed ratione agentis principalis, ſcilicet formæ ſubſtantialis, quæ eſt agens principale, à qua dirigitur caliditas ignis, cuius ratio eſt, qa ignis ſibi determinat ſiccitatem, cum qua ſtat caliditas, quę iuncta ſiccitati conſumit humiditatem, iũcta autem humiditati, humectat, hinc

eſt

eſt quòd dicimus, caliditatem aeris humectare; Secundæ rationi reſpondetur quòd ſi effectus ſunt diuerſi, diuerſitas tantum eſt accidentalis, ſed non eſſentialis, variatur enim actio per annexa, & per agentia principalia, quo circà ſunt eiuſdem ſpeciei eſſentialis; Quo ad ſecundam difficultatem propoſitam, Reſpondetur quòd non ſolum ſunt permutandæ qualitates, ſed præter illas, permutanda eſt etiam forma ſubſtãtialis, & cætera alia, quæ illas conſequuntur qualitates vt patet, nam aqua calefacta non eſt aer, quia non eſt permutata forma ſubſtantialis, nec grauitas aquæ; At dicet ille, Ariſt. dixit tantummodo qualitates eſſe tranſmutandas, igitur erit diminutus; Reſpondetur, Ariſt. conſideraſſe id quod conferrebat ad ſuum propoſitum, conſiderabat enim tantum quatuor eleměta, vt per qualitates ſpecificantur, ideó agẽs de mutua elementorum tranſmutatione, ad has tantum reſpexit qualitates; Et quando dicitur quòd aqua calefacta non eſt aer; Reſpõdetur quòd non eſt aer, ſed eſt via ad aerem magis quã aqua frigida, indè eſt quòd aqua calefacta continuò vertitur in aerem, quia continuò elleuantur vapores, ſic èconuerſo ſi aer nobis propinquus eſt frigidus, & humidus, & tamen non eſt aqua; Reſpondetur

pari-

pariter quó l non eſt aqua, eo quia per frigiditatem adhuc non eſt productus effectus vltimus, qui eſt, vt etiam cōuertatur aquæ ſubſtantia, ac raritas in denſitatem, hinc eſt quòd aer frigidus, & humidus eſt aqueus ſicut dixit Ariſt. Primò Meteo; Dicent, quòd aer qui nos ambit eſt aqua diſgregata, ideò ille aer ē via ad aquam, quare concludo quòd Ariſt. hic conſiderat elementa vt qualitatibus ſpecificantur, ideò de illis hic tractans vt viciſſim tranſmutantur, ſolummodo ad has reſpexit; Erat aliud argumētum ſumptum à qualitatum remiſsione; Cui faciliter reſpondetur, quòd Ariſt. non eſt loquutus de intēſione, & remiſsione qualitatum, quia conſiderabat combinationes qualitatum quæ principaliter, vel ſecundariò ipſis conueniebant elementis, & conſiderans quòd vnicuiq; elemento duæ competunt qualitates, tractanſq; hic de eorum mutua permutatione non conſiderauit intenſionem, nec remiſsionem qualitatum, quæ intenſio, & remiſsio aliquando etiam fit ratione qualitatis illis annexæ, vt docuit Alex. Primo Quæſt. Natural, ſi enim ignis debet in aerem conuerti, neceſſe eſt q̃ ſiccitas ignis corrumpatur, & conuertatur in humiditatem per quā caliditas ignis redditur aerea, quę licet non ſit intenſa, hoc prouenit

uenit à qualitate quæ ſibi eſt iuncta, videlicet ab humiditate, ideò caliditas quæ erat ignea fit aerea; Vt tollatur vltima difficultas propoſita, eſt animaduertẽdum, quòd facilitas, & difficultas illa poteſt penes duo attendi, vel penes opus, vel penes tempus, quo tale opus ab agente abſoluitur, ſi primo cõſideretur modo, difficultas propoſita eſt nulla, quia quo ad opus difficilius eſt duo permutare, quàm vnum, vt exempli gratia, ſint duo pondera eleuanda, certum eſt quòd facilius vnum eleuatur pondus quàm duo, quia pro eleuatione vnius, vnus homo eſt ſufficiens, at pro duorum eleuatione, duos eſſe debent homines, quare facilius eſt vnum pondus quàm duos eleuare; aliud exemplũ, ſint duæ naues, vna parua, alia duplo maior, & conſideretur motus ambarum, certum eſt, quod difficilius eſt mouere maiorem, quàm paruã, quia opus illius eſt maius, ſic in propoſito, facilius eſt quòd elementum conueniens in vna qualitate permutetur, quàm elementum quòd in duabus cõtrariatur ſicque Ariſt. principaliter in præſenti reſpexit opus, ſicque accipiendo eius regulam, difficultas propoſita eſt nulla: Quæ facilitas, & difficultas ſi attendatur penes tempus communiter omnes dicunt Ariſtotelis ſententiam non eſſe verá,

cum

cum vtrobiq; eadem ſit neceſsitas, quare, & vtrobiq; eadem erit facilitas, vel difficultas temporis; Ego autem cenſeo regulam Ariſt. eſſe veram,& conſiderando facilitatẽ,& difficultatem hanc penes tempus, quod experientia comprobo, quia elementa in qualitate vna conuenientia facilius viciſsim permutantur, ſicut aqua in aerem, & ècontrà aer in aquam facile vertitur, vndè in ipſis eſt circulus continuus, vt dicit Ariſt. Primo Meteo. quare dictum Ariſtotelis etiam erit verum quo ad facilitatem, & difficultatem temporis; Pro ſolutione autem difficultatis propoſitæ. eſt conſiderandum primò, quòd quando dantur regulæ, & præſertim proportiones, eas habere veritatem per ſe, ſeù ratione ſui, quæ demum ratione alterius ſtat quòd reddatur falſæ, regulæ enim iſtæ, & proportiones conſideratione mathematica ſunt veræ, quia Mathematicus abſtrahit à materia,& à rebus Phyſicis, quę proportiones, & regulę rebus Phyſicis iunctę, ſicq; per accidẽs, ſeù ratione alterius ſunt falſæ, vt in propoſito ſe habet, quemadmodum etiam eſt de proportione motus, cuius regulæ mathematica conſideratione ſunt veræ, ſed rebus Phyſicis iũctæ non habent veritatem, vt fuit Ariſt. ſententia 13. Metaph. exemplum dõ, Mathematici

tici dicunt, quòd ſphera tangit planum in puncto, quod dictum mathematicè eſt verũ, at ſphera ſi rebus phyſicis applicetur ſemper corpus tangit per corpus, & non per punctũ, ſic & in propoſito, vt vnũ ad vnum, ita duo ad duo, regula hęc in ſe eſt vera, ſed ratione annexorum eſt falſa, elementa enim quæ in vna conueniunt qualitate & ſymbolica ſunt, ſic ſe habent, quòd etiam in conſequẽtibus, & ſubſequentibus ad illas qualitates cõuenire videntur, vt patet de igne, & aere, quæ ne dũ in caliditate conueniunt, ſed etiam in multis alijs, vt in raritate, in leuitate, ſicq; dicitur quòd aer in ſubſequentibus conuenit cum aqua magis, quàm cũ terra, quæ in qualitatibus primis ne dum contrariantur, ſed ẽt in ſubſequentibus, ideo dicimus, quòd vt vnum ad vnum, ſic duo ad duo, quia tamen elementa ſymbolica habent etiam in qualitatibus ſubſequentibus conuenientiam, ideo dicimus quòd facilius ratione eorum permutantur, facilemq; eſſe tranſitum, & ſic regula dicta ſicut vnum ad vnum, ita duo ad duo in ſe eſt vera, ſed iuncta corporibus phyſicis, & rõne annexorũ eſt falſa; Sed quia hoc ẽ maximè difficile, vt rem magis explicemus, exactius hoc cõſideremus; videtur .n. q aliqñ elementum contrarium facilius in elementũ

contrarium conuertatur, quàm in elementum ſymbolicum, exemplum, ſit ignis qui in vna qualitate diſtat à terra, ſed ĩ duabus ab aqua, ſecundum enim vtranq; qualitatem aquæ contrariatur; ipſi verò terræ ſecũdum vnam tantum, quid facilius permutat ignis, aquá, vel terram? patet q facilius permutat aquá, terra tamen quæ eſt magis propinqua igni non permutatur, & ſi permutatur, parũ permutatur, ſed aqua facilius, & citius conuertit enim ignis aquam in vapores, quare patet quòd facilius, & citius aqua permutatur; Reſpondetur, permutationem terrę in ignem eſſe difficiliorem, non quia cõueniat in vna qualitate, ſed difficultas huius permutationis eſt per accidens, & ratione annexorũ terræ, terræ enim iuncta eſt denſitas, & grauitas, per quam denſitatem, & grauitatem maximè ab igne differt; Ideo Ariſt. in Lib. de Cœlo, & Mundo dixit, terræ ignẽ quàm maximè contrariari, quare regula Ariſt. quę pſe eſt vera, per accidens redditur falſa; id autẽ quod dicimus clarius eluceſcit, conſiderando terram madefactam, & terram aridam, & ſiccam, quæ harũ citius ab igne permutatur? terra arida, & ſicca, quemadmodum & lignũ aridum facilius comburitur; Do aliud exẽplum, accipiatur aqua, ab illa diſtat ignis, &

aer,

aer, quis horum facilius, ac citius vertit aquã in ſe? Aer non, quia in aquam parum agit, licet in qualitate conueniat, at ignis qui eſt illi contrarius continuò reſoluit aquam, quomodo ergo dicit Ariſt. elementa in qualitate conuenientia facilius permutari? Reſpondetur, illud quod dictum eſt per accidens euenire, cum enim caliditas ignis ſit maximè actiua, quàm caliditas aeris, ſic ignis permutat aquam, quod aer non facit, quia aer hic eſt magis humidus, & frigidus, quàm quòd ſit verè calidus; Vlterius hoc verificatur cõſiderando id quod permutatur, & non id à quo fit permutatio, hoc enim ab Ariſtot. nõ conſideratur, vt aqua in quod facilius permutatur, in aerem, an in ignem? in aerem patet facilius pmutari, quia ignis agens in aquã facit aquam euaporare, qui vapores in aerẽ vertuntur, ſicq; aqua facilius in aerem vertitur, quàm in ignem, ideò Themiſtius dixit, vnum elementum contrarium nõ poſſe trãſmutari immediatè in ſuum contrariũ, vt aqua in ignem, niſi primo in aerem vertatur; ſicq; patet, quomodo Ariſtotelis ſentẽtia eſt vera quò ad opus, & quó ad tempus, & abſolutè quó ad facilitatem permutationis, quomodo q; ſoluantur difficultates.

Con-

Controuer. ſuper contex. 26.

An elementa cõtraria poſsint inuicem inmediatè tráſmutari.

EX Ariſtot. ſententia in iſto textu apertè colligitur elementa contraria inmediatè mutuó tranſmutari, licet talis cõuerſio ſit difficilior, ꝙ illa quæ eſt in elementis in vna qualitate communicantibus; Difficultas eſt hic, An elementum contrariũ poſsit inmediatè verti in ſuum contrarium, vt an aqua poſsit inmediatè in ignem mutari abſq; hoc quòd in aerem conuertatur, ſimiliter an terra in aerem, & è contrà inmediatè poſsint tranſmutari; In hac difficultate primo reperitur Themiſtius referẽte Auerroe 5. Phy. Com. 10, qui partem negatiuam affirmat, dicit enim quòd elementum cõtrarium inmediatè non mutatur in ſuum cõtrarium; Eiuſdem ſententiæ videtur fuiſſe Simplicius Primo Cœli Com. 21 dicens, aquam conuerti in ignem mediante aere; Quæ opinio adhuc experientijs confirmatur, nunꝗ enim iudicamus aquam in ignem inmediatè verti, niſi primò aqua rarefia, & in aerẽ conuertatur, deinde in ignem; Rationibus vtor quarum prima accipitur à diffinitione medij ab Ariſt. data 5. Phy. vbi dicit ꝙ mediũ ẽ illud ad quod primò puenit mobile quòd ad aliquod extremum permutatur, quàm ad vltimum, hinc eſt regula, non dari tranſitum

de

de extremo ad extremum abſq; medio, cum ergo ita ſit, dicendum eſt, contraria per medium tranſmutari; Vlterius, vtor ratione Simplicij ab eo adducta Com. ſuprà allegato, quæ talis eſt, ſi aqua debet in ignem verti, aqua primò debet calefieri, & deſiccari; modò quęro, quid primò in aqua recipiatur, vel calefactio, vel deſiccatio, vel ambo ſimul, dicit Simplicius primò calefactionem in ea recipi, cuius ratio eſt, quia aqua facilè calefit, ſed ægrè deſiccatur, modo ſi caliditas eſt magis actiua, & primò remouetur frigiditas aquæ, q̃ humiditas, ſi id quod primò erat aqua deſtituatur frigiditate, remanet humiditas, & caliditas, & cum ſic ſit, dicendum eſt illud primò in aerem mutari, ſicq; prius permutatur aqua in aerem, quàm in ignem; Inſuper ſi cõtraria inmediatè inuicem permutantur, terra igitur inmediatè in ignem poterit permutari, & èconträ; cũ ſint extremè oppoſita, quòd tñ ẽ impoſsibile, quòd ꝓbatur, ſi .n. ignis in terrã inmediatè tranſmutatur, ſequetur q; terra poterit ſeruari cũ maiori raritate q̃ aqua, & ècõtrà ignis ſeruabitur cum maiori dẽſitate q̃ aer, quę adhuc sũt impoſsibilia, nã ſi ignis inmediatè vertitur in terrã, neceſſe ẽ q; ignis cõdẽſetur, qñ cõdẽſatur, ſit aere denſior, & quando ſic eſt, tunc vel eſt

ignis

Ignis, vel terra, ſi terra, ergo dabitur terra rarior aqua, ſi verò eſt ignis, ergo dabitur ignis denſior aere, quæ tamen ſunt impoſsibilia, quare cum terra nõ poſsit in ignem immediatè verti, & in vna qualitate conueniat cum igne, ergo tantò minus elementa cõtraria, & quæ in ambabus contrariantur qualitatibus inuicem poterunt permutari; Qui sũt huius opinionis, Ariſtoteli dicent, quòd ipſe non conſiderat an mediatè, vel imediatè vnum elementum in aliud permutetur, ſed abſolutè conſiderat, an vnum elementum in aliud tranſmutetur, vel nẽ, ſicq; Themiſtius & Simplicius dicerent elementum contrariũ in aliud mutari contrarium, ſed mediante aere dicent ignem in aquam permutari, & ſic de Confut. alijs; Qui ſic dicentes non ſunt audiendi, & ratio eſt, quia materia prima æquè primò reſpicit quatuor primas qualitates elemẽtorum, adeò quòd prima materia non magis vnam, quàm aliam reſpicit, ſed omnes æquè primò, inter illas enim non eſt ordo eſſentialis, ita quód vna recipiatur mediante altera, qui ordo eſſentialis inter formas miſtorum reperitur, formæ enim elemẽtorum primò recipiuntur in materia, quibus mediantibus formæ miſtorum, deindè per has recipitur anima, modò cum materia debeat recipere

formas

formas elementorum, vt formam ignis, aeris, aquæ, & terræ, materia ex parte ſui poteſt æquè primò recipere omnes illorum formas; Vlterius, ſi hoc eſt poſsibile ex parte materiæ & patientis, ergò etiam eſt poſsibile ex parte agentis, vt agens poſt vnam formam, aliam æquè introducat, & huius ratio accipitur ab Ariſt. & Auerroe Primo Cœli Com. 124. qui dicunt potentiæ paſsiuæ ſemper correſpondere potentiam actiuam; Vlterius cum hoc ſit poſsibile ex parte potẽtiæ paſsiuæ, & actiuæ, etiam ſequitur quòd hoc in natura aliquando reperiatur, ita quòd contrarium inmediatè vertatur in contrarium; Vlterius hoc idem experientijs confirmatur, percipitur enim vt dicit Ariſt. in tex. 28. quòd ex terra elleuantur exhalationes, & quód ex fumo generatur flãma, modo ſi ex terra generantur exhalationes, quæ exhalationes sũt quid aereum, experimento igitur conſtat aerem ex terra inmediatè gigni; pariter quia fumus eſt terreus, & ex fumo fit ignis, igitur ex terra inmediatè producitur ignis, hoc etiã patet ex aqua quæ inmediatè vertitur in ignẽ, nam fabri ferrarij proijciunt aquam ſuprà carbones incenſos, inmediatè ex ea generatur flamma, non eſt igitur impoſsibile ex elemento contrario generari elementum cõtra-

in propria ſphera, vel cõſiderantur elemẽta quatenus ſunt extrà propriũ locũ; Si primo cõſiderentur modo, ſẽper elemẽtorũ permutatio immediata erit inter elemẽta conueniẽtia in vna qualitate, minimè inter vtriſq; qualitatibus contraria, vt ſi ignis ſit in propria ſphera, & iungatur aeri, ignis ille nũq̃ vertetur in aquã immediatè, ſed quando corrũpitur, prius in aerẽ cõuertitur; Similiter aer iũctus aquæ in ſuoq; naturali loco exiſtens, immediatè nũq̃ in terrã mutabitur, ſed primò in aquam, & ſic de alijs erit dicendũ ſtando in huiuſmodi diſtributione, & ſic ſentẽtia Themiſtij, & Simp. veritatẽ habet; Et ſi probatũ ſit talem permutationẽ nõ fieri, hoc eſt, quia rarò fit; Quæ permutatio elementorũ inmediata adhuc non fit, cõſiderãdo elementa vt in ſuo ſunt naturali loco, ſed ſeiungendo illa à ſuo loco naturali, poſsibilis eſt tunc talis permutatio, & adhoc reſpiciẽs Ariſt. ſat eſt q aliqñ fiat; Quibus ſic ſtãtibus ſoluuntur difficultates; Erat prima ratio ſupra ab experiẽtia, cui reſpõdetur oppoſitũ ẽt experiẽtia cõſtare, & ſi experiẽtia aliqd demõſtrat, cõclu lit ſolũ talẽ trãſmutationẽ nõ fieri, qa rarò fit; Rationi deſuprę ex diffinitione medij reſpondetur medium eſſe multiplex, & prõ nũc mediũ eſt duplex, aliud per cõpoſitionẽ
aliud

aliud per reſpectum, & per quandam conue-nientiam, extremum non tranſit ad extremũ niſi per medium, quando medium accipitur, prô vt componitur ex extremis, vt in coloribus, non fit tranſitus de albo ad nigrum niſi per medium, quia colores recipiunt intenſionem, & remiſsionem, elementa autem media non ſunt media per compoſitionem, ſed dicuntur media vel ſecundum proportionem, vel per aliquam conuenientiam; Rationi deſumptę ex Simplicio reſpondetur, verum eſſe quòd ſi aqua debet in ignem verti, quòd primò debet recipere caliditatem; ſed dico deinde quòd nõ ſemper quòd aqua eſt calefacta eſt aer, eo quia adhuc alia requiruntur; ſi tamen calefiat, & deſiccetur, tunc in ignem vertitur, vt patet de aqua ſuper carbones accenſos proiecta, quæ primo calefit, quàm deſiccetur, ſed calefacta non eſt ignis, at calefacta, & deſiccata vertitur in ignem; Ad poſtremam reſpondetur, quòd ſuſtinẽdo elementa in qualitatibus poſſe intẽdi, & remitti, argumentum eſſe nullum, qui autẽ intenſionem illam, & remiſsionem negant, argumentum ipſis eſt difficile; Cum ergo dicitur quòd dabitur ignis denſior aere, vel terra rarior aqua, dico quòd nec ille erit propriè ignis, nec illa erit propriè aqua, ſed erũt

ignis,

ignis, vel terra per intẽſionem, vel remiſsionem, nam erit ignis remiſſus, eritq; terra remiſſa per formas ſuas.

Controuer. 1. ſuper tex. 49.

DIcit Ariſt. miſta quæ circa locum medium ſunt, conſtare ex omnibus elementis, quod dictum intelligitur de miſtis perfectis, Inſtãtia eſt de metallis, quę cum ſint grauiora terra, quomodo ergo conſtabunt ex omnibus elementis? Si enim conſtant ex omnibus elementis, tunc habent grauitatem, vel leuitatẽ ab ipſis elementis ipſa componentibus; ſicq; ſi ſunt grauia, habent hanc à terra, ſi leuia, eſt ratione ignis. ſi igitur conſtant ex omnibus elementis, non erũt terra grauiora, ſed minus grauia; Hoc idem poteſt dici de qualitatibus primis, ſi enim miſta conſtant ex omnibus elementis, non dabitur igitur miſtum calidius ipſis elementis, vel frigidius, quod tamen eſt falſum, quia datur miſtum frigidius aqua, ſicuti eſt venenum, quod ſui frigiditate interficit, quod aqua ſui frigiditate præſtare nequit, ſui enim frigiditate nequaquàm necat, quod minima veneni portio ſui frigiditate facit, dabitur igitur miſtum ipſis elemẽtis frigidius, quare miſtum illud non cõſtabit ex omnibus elementis, ſi enim haberet

An miſta conſtent ex omnibus elementis.

ignem

ignem, non haberet ſummam grauitatem, nec ſũmã frigiditatẽ, ſicq; non necaret; Omisſis aliorum ſolutionibus dico cũ Galeno in Lib. de Natura humana, falsũ eſſe aſſumptũ metalla eſſe grauiora terra, quod ſi probabitur, qa ſi terra, & plumbũ in ęquali portione accipiãtur, & põderẽtur, plũbũ erit grauius; Reſpõdetur, quõd terra quę accipitur nõ eſt pura, habet .n. ſecũ plurimũ aeris, at in plumbo loco aeris eſt aqua, cũ autẽ terra ratione aeris ſit rarior, ideõ plumbum eſt ea grauius, ratione aquæ ipſi plumbo inexiſtentis, loco aeris quo terra eſt plena, at ſi accipiatur terra pura, quæ cum non poſsit reperiri niſi ſecũdum imaginationem, illa erit plumbo grauior; Ad illud de veneno; Omitto difficultatem quomodo venenum operetur, an per qualitates virtuales, an per qualitates manifeſtas, an per ſui propriam ſubſtãſtantiam, & ſuſtinendo venenum agere per qualitates manifeſtas, vel per ſui propriã ſubſtantiam, dico in via Ariſtotelis non dari illas qualitates virtuales, ratio quæ mouet me ad hoc aſſerendum eſt, quia cum Ariſtoteles redigit effectus ad ſuas cauſas, ſemper eorum aſsignat cauſas formales, ac actuales, ad virtuales eos numquàm reduxit; Sed quo-

modo

modo iſtæ cauſæ diuerſificantur in operationibus? Dicendum eſt quòd ſecundum Ariſtotelem qualitates iſtæ actuales, vt caliditas, frigiditas, & aliæ concurrunt ad effectus producendos inſtrumentaliter, agens verò præcipuum eſt forma ſubſtantialis, quando igitur videmus effectus, qui nos in admirationem ducunt, ſecundum Ariſtotelem eſt dicendum eos produci à qualitatibus actualibus tamquàm per inſtrumenta, à forma verò ſubſtantiali, tamquàm ab agente principali, ſicquè de venenis, forma ſubſtantialis veneni eſt agens præcipuum, concurrunt demum qualitates dictæ inſtrumentaliter, quodlibet enim agens agit per inſtrumenta, & varia agentia principalia ſtat quòd vtantur vario modo eodem inſtrumento, & cum dicitur, quare frigiditas aquæ non necat? Reſpondetur, quòd & ſi ſit idem inſtrumentum, non eſt tamen idem efficiens principale in aqua, ſicuti in planta venenoſa, & ſic de alijs erit dicendum, minimè erit confugiendum ad qualitates occultas, ſeù virtuales, ſed effectus iſti producuntur à forma ſubſtantiali, vt ab agente præcipuò, à qualitatibus verò dictis, vt ab inſtrumẽto, quæ qualitates [illegible] di-

diriguntur ab agête principali, à forma ſubſtantiali, & vario diriguntur modo, vt varia eſt forma ſubſtantialis, ſic etiam in plāta venenoſa reperitur ignis, quia in ea reperitur calor, qui duplex eſt, ſicuti in omnibus viuentibus, adeſt .n. calor temperamenti, adeſt & calor qui dicitur infuſus.

Contrõuer. 2. ſuper tex. 59.

An humidorũ ſola aqua ſit benè terminabilis.

DIcit Ariſtot. quòd ſi in miſto eſt terra, debet quoq; adeſſe aqua, cuius ratio ē, quia aqua eſt benè terminabilis; Obijcitur, quia eſſe benè terminabile magis conuenit aeri, quàm aquæ, ratio eſt, quia aer eſt primò humidus, & humidum eſt illud quod eſt benè terminabile, dixit Ariſt. ſuprà tex. 9. Si igitur diffinitio humidi conuenit aeri, ergo aer eſt primò benè terminabilis, quomodo ergò dicit Ariſt. quòd humidorũ ſola aqua eſt benè terminabilis? Amplius, omne corpus naturale eſt terminatum à ſua forma naturali, ergo non requiritur aliud humidum aquę; Vtrumq; ſoluitur à Ioanne Gra: Quo ad primum, concedit quòd aer ſit primò humidus, humiditas tamen illius non ita operatur in miſto, ſicut humiditas aquę, ratio eſt, quia humiditas aquæ ſui dēſitate melius terræ commiſcetur, magiſq; eam contemperat, at

aeris

aeris humiditas hoc pręſtare nequit propter ſui leuitatem, ac fluxibilitatem, ideó à terra effluit, nec ei commiſceri poteſt, Et addit Ioannes quòd dictum illud (aqua eſt bene terminabilis.) intelligendum eſt actiuè, ideſt benè determinat illud, quod ei commiſcetur; Quò ad ſecundum, dicit quòd omne corpus naturale qua naturale terminatur à ſua forma ſubſtantiali, quo modo ſi terra conſideretur, non indiget humido aqueo, at non ſic ab Ariſt. in pręſenti conſideratur, ſed terram conſiderat ratione qua eſt in miſto, & quia non venit ad miſtionem niſi prius in partes paruas, ac minimas diuidatur, quæ partes ſic diuiſæ non valent amplius à ſui natura terminari, ac continuari, ideò requiritur humidum aquæ quod ipſas coniungat, ac terminet.

Controu. ſuper tex. 50.

RAtionabile eſt ſolum ſimplicium corporum nutriri ignem.) Hæc ſunt verba Ariſtotelis; Quibus obijcitur, vel ipſe Ariſt. loquitur de vera nutritione, vel de metaphorica, ſi primum, ignis non nutritur, quia hæc ſolis conuenit viuentibus, quæ anima nutriente ſunt prędita; Si veró loquitur de nutritione impropria, & prò regeneratione ſumpta, hæc omnibus competit elementis,

An inter corpora ſimplicia ſolus ignis nutriatur.

mentis, aqua enim cum regeneratur, dicitur nutriri, & ſic de alijs; Reſpondeo, q Ariſt. loquitur de nutritione metaphorica, quia de propria loquendo, re vera ignis non nutritur; Ad inſtantiam, quia talis nutritio impropria omnibus conuenit elementis; Reſpondeo, quód licet ita ſit, ignis tamen ſolus dicitur nutriri metaphoricè, duplici de cauſa, prima eſt, quia ex improprijs nutritionibus, nulla eſt ſimilior nutritioni propriæ, quàm nutritio ignis, & hoc maximè apparet ex igne, qui eſt flamma, qui eſt in continua regeneratione, & flamma niſi continuò reſtauretur, flamma extingueretur, & hæc nutritio, quę igni conuenit, reperitur in omnibus viuentibus, eo quia in omnibus viuentibus reperitur calor actualis, qui cõtinuò debet refici, & hanc vocamus nutritionẽ, quia ex improprijs nutritionibus iſta nutritioni propriæ eſt magis ſimilis, immó hęc dicitur origo, & principium nutritionis veræ, ac propriæ, cum viuentia non nutriantur niſi virtute caloris, & ignis, qui conuenit omnibus viuentibus; Secunda cauſa eſt, vt dicit Ioan. Gram. immò ipſe Ariſtoteles, quia id quod nutritur gerit vicem formæ, alimentum verò materię, elementa autem in ordine ad miſtũ ſe habent tamquàm materia, ſicq; reſpectu

ignis

ignis, tria alia elementa ſe habent, ſunt enim tamquàm materia; ignis verò tamquàm forma; cui formæ conuenit nutritio, ideò cætera elementa ignis materia dicuntur.

Controuer. ſuper tex. 51.

An principia æternorum, & corruptibiliū ſint numero æqualia, & eadem genere.

HAbet Ariſt. hāc propoſitionem famoſam in hoc cōtex. 51. (Principia æternorum, & mortaliū ſunt numero æqualia; & genere eadem;) Quæ autem ſint iſta principia in verbis ſubſequentibus explicat, & dicit, quòd ſunt tria, ſ. materia, forma & efficiens, quod addit in tex. ſubſequenti 52. Obijcitur, quia ipſe Ariſt. Primo Phyſ. docuit, quòd huiuſmodi principia ſunt, materia, forma, priuatio, finis, ac efficiens, hic de priuatione, & fine, nullum habet verbum; Quæ priuatio adhuc in æternis non reperitur, quomodò igitur ſunt numero æqualia; Amplius, Themiſtius Primo Phy. 63. dixit, in cœlo non eſſe materiam, cum materia ſit illa per quam res eſſe, & nō eſſe poteſt, æterna non poſſunt non eſſe, cum ſemper ſint, ac ex neceſsitate, vt in præſenti textu dicit Ariſtot. ergo æterna carebunt materia, vel ſi materiam habebunt, alterius erit generis à materia iſtorum mortalium, cum materia ſpecificetur à formis quas recipit, at cum formæ mortalium ſint ſpetie diuerſæ à formis, quæ

ſunt in materia cœli; hæ enim ſunt à materia abſtractę, at illę ſunt à materia cauſatæ, aut igitur in cœlo non erit materia, vel ſi eſt, erit diuerſa, quomodo igitur huiuſmodi principia numero æqualia, & genere eadem? Quod adhuc confirmatur, cum omnium ſit communis ſententia, ęterna carere cauſa efficienti, quæ ſententia ratione probatur, ſi. n. in ęternis ſit efficiens, aut tale efficiẽs eſt per creationem, aut per generationem, non primum, quia creationem omnes abhorẽt Phyloſophi nec ſecundum, quia omnem generationẽ pręcedit alteratio, omne autem alterabile eſt corruptibile, igitur æterna carebunt efficienti, vel erunt corruptibilia; Vt hæ tollantur difficultates, breuiter eſt declaranda propoſitio Ariſtotelis dicta; Et notandũ eſt, quòd principia de quibus facit Ariſt. ſermonẽ, ad duo poſſunt refferi, vel ad ſubſtantiam, vel ad motum, ſi ſubſtantiam refferantur, dicendum eſt, principia de quibus loquitur Ariſtot. minus propriè cœlo conuenire, quàm ipſis mortalibus, modo enim aliquo materia, & forma conuenit cœlo, quæ propriè mortalibus competunt; Loquendo adhuc de efficiente de quo Ariſtoteles hic loquitur, cauſa efficiens quo ad ſubſtantiam non conuenit cœlo, indè eſt quòd Græci expoſitores, Simplicius, Ioã. et

Gram. & cæteri dicunt, quòd ſi cœlum quo ad ſubſtantiam habet efficiens; Illud potius eſt conſeruans, quàm producens; Si aũt principia refferantur ad motum, tũc ſententia Ariſtot. propriè verificatur, materia enim cõuenit motui, quia ei cõuenit ſubiectum, cui etiã conuenit efficiens, & ſic propoſitio Ariſtotelis pręcipuè verificatur de cœlo refferẽdo ipſum ad motum, & huius duplex eſt cauſa, prima, quia Ariſtoteles debet cõſiderare cœlum ratione qua phyſicum eſt, cœlum autem naturale eſt, ratione qua eſt mobile, mobile verò eſt, ratione qua mouetur localiter; Secunda cauſa eſt, quia Ariſt. dicens, in æternis, & mortalibus principia numero eſſe ęqualia, non temerè hoc dicit, conſiderat enim ꝙ hic eſt aſsignanda cauſa efficiens æternę generationis, & quia hæc eſt duplex, vt ſuprà tex. 14. primi huius docuit, vna inmobilis, vt æternus motor, alia mobilis, vt cœlum, ꝙ habere motorem declaratum fuit 8. Phy. id eſt, efficientem cauſam, & ideò Ariſt. vult dicere, quòd ſicut in 8. Phy. dictum eſt, ꝙ æternum mobile habet æternum motorẽ, ſic quoq; mortalia habent cauſam efficientem æternæ generationis, hac de cauſa Ariſtotelis hic attingit æterna, quia ex æternis ſumenda eſt cauſa efficiens æternæ generationis, ex æter-

nis quatenus modo aliquo ſũt diuiſa 8.Phy. quia ibi declaratum eſt æternum mobile, & æterni motores, qui ſunt cauſæ efficientes in his mortalibus, & ideo hoc refferendum eſt ad cœlum quatenus naturale, cœlum verò cũ ſit naturale quatenus eſt mobile, ſic in eo ſũt principia, quæ hic numerat Ariſt. Ideò hoc maximè verificatur de ęternis in collatione ad motum conſideratis, dicitq; principia eſſe numero æqualia, quia in æternis eſt cauſa efficiens, materia, forma, quę eſt idem cum fine, quem hic tacet ſtudens bræuitati, cum coincidat cum forma, omittit etiam hic priuationem, quia hic enumerat principia rei generatæ, at priuatio non eſt principium rei generatæ, niſi per accidens, ſicq; in mortalibus, & æternis principia ſunt numero æqualia; ſunt etiam genere eadem, ſed quomodò? Ioannes Gra: dicit, quòd loquendo de materia, ſunt genere eadem, ſed dicit aduertendum eſſe Ariſtotelem hic conſiderare ſubiectum, non materiam, cõſiderat enim id quòd ſubijcitur, quod eſt in actu, non in potentia; ita quòd in cœlo eſt ſubiectũ, quod ſemper eſt in actu, quare conſiderat ſubiectum, non materiam, quia materia ſemper eſt in potentia, ſicq; ſubiectum cœli, & mortalium eſſe eiuſdem generis, dicit Ioannes; Quę eua-

ſio nulla eſt, quia dato quòd ſuum dictum ſit verum propriè de materia;non tamen verificatur de forma,quia forma cœli,& horum inferiorum eſt diuerſa; Vlterius ipſe Ioãnes non ſoluit difficultatem, quia dicam, ſi Ariſtoteles in æternis conſiderat ſubiectum actu,quod eſt cœlum,ipſum eſt æternum,at ſubiectum actu in his caducis eſt corruptibile, æternum autem & corruptibile non sũt eiuſdem generis,ſicq; non ſoluitur difficultas ab ipſo Ioanne Gra. Prętereà, falſum eſt quòd Ariſtot. conſideret ſubiectum in actu, immò conſiderat materiam; nam dicit quòd materia propter ſui potentiam eſt cauſa quòd hęc mortalia ſint generabilia,& corruptibilia,nõ ergo conſiderat ſubiectum in actu,ſed materiam vt eſt in potentia; & ideò dixi Ariſtot. conſiderare principia in relatione ad motũ, ſicq; cœlum eſt potentia; Dicendum igitur eſt, quòd principia ſunt genere eadem, eo modo quo dicit Ariſt. 12. Metaph. dum dicit, omnium eſſe eadem principia, ſicq; eadẽ genere,ſed non vniuoco,ſed ab vno ad vnũ, quod dicitur analogicum, ſicq; ſecundum quandam analogiam erunt eadem principia genere in æternis, & mortalibus, ſicut enim materia mortalium ſubijcitur tranſmutationibus, nempè generationi,

& corruptioni, ſic cœlum ſubſternitur motui ſicq; ſunt genere eadem ab vno ad vnũ, ſeũ analogicè, & per hæc ſoluuntur difficultates adductæ.

Controuer. 1. ſuper tex. 56.

An ab eodem contraria poſsint fieri.

DIcit Ariſt. quòd idem non poteſt eſſe cauſa generationis, & corruptionis, & aſsignat cauſam hanc, quia generatio, & corruptio ſunt contrariæ, & idem eodem modo ſe habens non producit contraria, ſed idem; Hoc videtur falſum, quia idem eſt qui generat, & corrumpit, omne enim quod generat, etiam corrumpit, nam ſi ignis generat ignem, corrumpit lignum, ab eodem igitur fit generatio, & corruptio; Reſpondetur, quòd quando Ariſtot. dixit, ab eodem contraria non fieri, hoc eſſe intelligendum de eodem reſpectu eiuſdem, ac eodem modo ſe habente, non fit generatio rei, & corruptio eiuſdem rei, quia generatio vnius rei contrariatur corruptioni eiuſdem rei, at reſpectu diuerſorum generás agit vnum per ſe, corrumpit verò aliud per accidens, & hoc eſt quod concludit argumétum adductum.

Controu. j. ſuper tex. 58.

DIcit Ariſt. Solem ſuo acceſſu, & receſſu eſſe cauſam generationis, & corruptionis, nobis enim accedente fit generatio, à nobis verò recedente fit corruptio; Quod non videtur eſſe verum, cum in receſſu Solis fiat etiam generatio; quod eſſe verũ patet, quia hyberno tempore etiam homo generatur, ac multa alia, quemadmodum & æſtiuo tempore quàm plurima corrumpuntur, ſi ſic, quomodo igitur dicit Ariſt. quòd per acceſſum Solis fit generatio, per eius verò receſſum corruptio? & præcipuè quia tot corrũpuntur quot generantur, cum generatio vnius ſit alterius corruptio, quare ſi recedente Sole multa corrumpuntur, multa etiam generantur, quia generationi corruptio eſt annexa, & corruptioni generatio; Tollitur difficultas per duo fundamenta, quorum primũ eſt, quòd Ariſtotelis ſentẽtia eſt vera de generatione vniuerſali, conſiderando omnia quæ generantur in noſtra regione, quæ ferè omnia fiunt Sole nobis accedente, quando enim Sol nobis approximatur fit ver, quo veris tempore ferè omnia ſpiritum, & vires recipiunt, noſtra namq; tellus quam incolimus quodammodo renaſcit, ac plantæ quoq; omnes, ſicq; Sol per ſuum acceſſum eſt cauſa ge-

An Sol ſuo acceſſu ſit cauſa generationis, & corruptionis.

nerationis vniuerſalis; pariter per ſuum receſſum eſt cauſa corruptionis vniuerſalis, cũ enim Sol à nobis recedit, hybernoq́; tempore, dum per ſigna meat meridionalia per Libram, Sagitarium, & alia, tunc omnia reddun tur arida, omniaq; interire videntur, & plantæ, & cætera viuentia, ſicq; Ariſt. reſpiciens ad generationem vniuerſalem, dixit quòd per acceſſum Solis fit generatio, reſpiciens pariter ad corruptionem vniuerſalem dixit, quòd per ejus receſſum fit corruptio, ſicq; maximè eſt verum illud aliud dictum quòd generatio adæquatur corruptioni; Secundo dico, quòd hyberno tẽpore particularis acceſſus facit id, quòd tempore æſtiuo facit vniuerſalis acceſſus, nam hyeme ſunt acceſſus particulares ſolis, per quos ſol eſt ſuprà origontem noſtrum, & operatur id quod acceſſus vniuerſalis agit, at dictum Ariſtotelis præcipuè veritatem habet de acceſſu, & receſſu vniuerſali; Cum vero additur, quòd ſemper quot generantur, tot corrumpuntur; Tollitur per hoc fundamentum, quòd Ariſtoteles per generationem, intelligit generationem ſimpliciter, & per corruptionem, corruptionem ſimpliciter, & hoc, quia ipſe Ariſtoteles, primo huius tex. 18. dixit, quòd generatio ſimplex accipitur tripliciter, vno

modo

modo prò generatione ſubſtantiæ, alio modo prò generatione accidentis, tertio modo prò generatione ſubſtantiæ perfectioris, ſicq; in præſenti, cum dicit Ariſt. quòd per acceſſum fit generatio, intelligit generationē rei perfectæ, quæ dicitur abſolutè, & ſimpliciter generatio, quia eſt productio rei perfectioris, pariter & per corruptionem, quā dicit fieri per receſſum Solis, intelligit corruptionem rei perfectioris, & ideò ſi hyberno tempore, & Sole recedente, plantæ reddūtur aridæ, talis corruptio dicitur ſimpliciter corruptio, ſi verò eſt generatio ligni aridi, dicitur generatio ſecundum quid, cum ſit generatio rei imperfectioris, quia Ariſt. conſiderat generationem, & corruptionem ſimpliciter minimè ſecundum quid.

Controuer. 2. ſuper tex. 58.

Dicit Ariſtoteles generationem eſſe æqualem corruptioni, & ècontrà; Oppoſitū videtur colligi ab Ariſtot. 2. Cœli tex. 37. & 38. vbi ſcriptum reliquit, (nullum violentum, & præter naturam eſſe æternum,) & addit, (nedum æternum, immò nec æquale ei, quod eſt ſecundum naturam;) vt autem magis appareat hæc contradictio, accipiendum eſt

An generatio ſit æqualis corruptioni, & ècōtra vt ab Ariſt. dicitur.

dictum

eſt dictum Ariſtotelis ibidē in tex. 37.(Omnis impotentia, & remiſsio quæ eſt in animalibus eſt præter naturam,) & dat exemplum de ſenio, nam ſenium eſt impotentia, & remiſſio, igitur erit præter naturam, ſi ſic, quomodo ergo erit æqualis ipſi generationi, cū nullum præter naturā ſit ęquale ei quod eſt ſecundum naturam? Hæc igitur eſt contradictio, de qua Expoſitores nihil dixere; Cui tripliciter poſſumus occurere; Et primó eſt notandum, quód aliud eſt loqui de æternis, & aliud de mortalibus, in æternis nō eſt pręter naturam æquale ei quod eſt ſecundū naturam, ratio eſt, quia in æternis nulla diſpoſitio præter naturam reperitur; Addo quòd ſi ibi ſit præter naturam, illud quod eſt præter naturam reſpectu vnius, non poteſt eſſe ſecundum naturam reſpectu alterius, at in mortalibus reperitur diſpoſitio præter naturam, in quibus etiam mortalibus diſpoſitio quæ eſt præter naturam reſpectu vnius, poteſt eſſe ſecundum naturam reſpectu alterius; tunc ad propoſitum dico, quòd Ariſtoteles hic loqtur de mortalibus, at ibi loquebatur de æternis, dicit enim quòd non poteſt infinito tempore præterito, nec futuro motus cœli intendi, nec remitti, quia motus cœli vniformitatem declarare intendebat;

Secundo

Secundo dico, quòd Ariſt. ibi facit comparationem inter infinitum, & infinitum, eo quia habet prò impoſsibili motum cœli in infinitum tempore præterito remitti, & in infinitum tempore futuro augeri, at loquendo de partibus temporis, & de vita, & viuere mortalium de quibus hic, illud nō eſt inconueniens; Tertio dico, quòd animalia toto tempore habent diſpoſitionem præter naturam, tota igitur vita animalium dicit Ariſt. includit diſpoſitionem præter naturam, dat rationem, quia includit elementa, quæ ſunt extrà proprium locum, & cum ſint extrà proprium locum, includunt diſpoſitiones præter naturam toto tempore vitæ ſuæ, ideo in ipſis animalibus nō eſt abſurdum quòd decrementum ſit æquale argumento, eo quia in parte tendunt ad perfectionem, & in parte tendunt ad interitum, ſic etiam cum ſenium ſit præter naturam, quia eſt ęgritudo naturalis, ideo dicitur partim ſecundum naturam, partim præter naturam, ſic etiam corruptio dicitur ſecundum naturam ab. Ariſt. 5. Phy. & in Lib. de Longitud. & bræuitate vitæ, vbi vocat mortem naturalem.

Controu. ſuper tex. 62.

An motus ſit cõtinuus ratione mobilis, vel ratione motoris.

DIcit Ariſt. motum eſſe continuum ratione ſubiecti, ſeu propter ipſum mobile; Oppoſitum dixit 12. Metaphy. tex. 41. dicens, motum eſſe continuum ratione motoris, habet enim continuitatem motus ab ipſo motore, & ideò declaratum eſt ab ipſo Ariſt. 8. Phy. quòd perpetuatio ineſt motui circulari ratione motoris, hic negat huiuſmodi cõtinuitatem eſſe ex parte motoris, cum dicit motum illam habere ab ipſo ſubiecto; Breuiter eſt dicendum, vtrumq; dictum eſſe verum, cõtinuitas motus prouenit à motore .ſ. effectiuè, à ſubiecto verò paſsiuè, ſeu materialiter, ſicq; nõ ſit incõueniẽs cõtinuitatẽ motûs eſſe ex parte mobilis, & ex parte motoris.

Controuer. ſuper tex. 67.

An gñatio ſit ſimplicr neceſſaria, qñ ex primo ſequitur sm̃, & ècontrà.

SOluendo dubitationem ab ipſo propoſitam ſuprà tex. 63. Nunquid aliquid generetur neceſſario, an omnia contingenter; Dicit in omnibus non eſſe neceſſarium ſimpliciter, ſed in quibuſdam, & eſt cum ex primò ſequitur ſecundum, & ècontrà; Ioan. Gramm. multis exemplis damnat ſententiam Ariſt. in quibus ex primò ſequitur ſecundũ, & tamen generatio ſecundi non eſt neceſſaria, ſed contingens; Primò, deſcendit pluuia, in cuius deſcenſu terra neceſſario madefit, made-

madefactio enim terrę neceſſario ſequitur ad pluuiam, & ſic ex primo de neceſsitate ſeqtur ſecundum, madefactio tamen de ſe non eſt neceſſaria, ſed contingens; dat aliud exẽplum, Socrates ſi acceperit multum de cibis, tardabitur eius digeſtio, ſecundum ſequitur neceſſarió ex primo, tamen ſecũdum eſt cõtingens, ſ. tarditas cõcoctionis; Inſuper Socrates laboret atrophia, ideſt carentia alimẽti, ad hoc ſequitur conſumptio, & demacratio corporis de neceſsitate, demacratio tamẽ corporis eſt contingens; Aliud exemplum, Ex vulnere ſanato ſequitur cicatrix, & ſic ex primo ſequitur ſecundum, tamen neceſsitas ſecundi, non eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed contingens, poteſt enim prouenire ex alio, vt ex vlcere; Aliud exemplum, eſt iugulatio, ergo mors, hic ex primo ſequitur ſecundum neceſſario, ſecundũ tamen eſt contingens, qa talis iugulatus poteſt nõ mori; Ioan: omittit has difficultates inſolutas, qa putat Ariſt. ſẽtẽtiã nõ eſſe probãdã; Nos verò prò Ariſt. ſoluẽtes difficultatẽ dicimus, eius regulã eſse veriſsimã rõne materię de qua loqtur, cõſiderat .n. Ariſt. neceſsitatem ſimpliciter, & vult quòd generatio ſit ſimpliciter neceſſaria; quando ſecundum ſequitur ex primo, & ècontrà, primum ex ſecundo de neceſsitate,

te, tunc dicit, ſecundum neceſſario ſimpliciter ſequi primum, & hoc eſt quod deficit in exemplis adductis, in quibus ex ſecundo non ſequitur primum, extenuatio enim corporis de qua fuit exemplificatum, poteſt ex alio ſequi quàm ex atrophia, poteſt enim ſequi ex febre, vel ex alijs cauſis, & ita eſt de alijs exemplis, ideò talia concludunt, at Ariſtot. vult quód ex ſecundo ſequatur primũ, & iterum primum ex ſecundo de neceſsitate, ad hoc quòd illud generetur ſimpliciter ex neceſsitate, quod non ita ſe habet in exẽplis datis; Hæc difficultas etiam ſoluitur à Sueſſano, ſed aliter, qui confugit ad per ſe, & per accidens, quam ſolutionem omitto, quia ſenſus datus mihi videtur quòd ſit ipſius Ariſtotelis in ſua regula propoſita.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE